DE

POLYBII RE GEOGRAPHICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XII. M. MAJI ANNO MDCCCLXXIII

HORA XII

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS BERTHOLDUS MAGDEBURG,
SAXO BORUSSUS.

OPPONENTIUM PARTES SUSCIPIENT:

A. NIESCHKE, Stud. phil.
O. JACOB, Cand. phil.

HALIS SAXONUM.

I.

1. Polybius duo distinguit rerum scriptorum genera, quorum alteri quidem neque labores neque pericula suscipientes historiam ita tractare conantur, ut in urbe aliqua commorari studeant, quae librorum copiam eis offerat, aut aliquam bibliothecam in propinquo habeat.[1] nam ex solis libris scientiam suam depromere malunt et domi sedentes atque libros perscrutantes priorum scriptorum errores vituperare. gratius eis est libros colligere in eisque haerentes de ultimis nationibus historiam conscribere, quam ipsorum populorum sedes moresque videre atque explorare.[2] his Timaeus adnumerandus est, qui per continuos quinquaginta annos Athenis se versatum esse gloriabatur et ex lectis putabat libris veterum scriptorum se maximum sibi parasse adjumentum ad historiam conscribendam.[3] omnes autem hi viri, qui a sola librorum lectione profecti ad historiam se vertunt tractandam, pictoribus illis similes sunt, qui non ad vitae atque naturae formam imagines reddere student, quorumque operibus ob hanc ipsam causam naturae veritas et vigor abest.[4] tales scriptores nihil narrant, quod ipsi viderunt, nihil perspicue exponunt, quo fit, ut nullam possint legentibus afferre utilitatem.[5] quod tum maxime apparet, cum singula descripturi sunt de urbibus et locis, quorum penitus sunt imperiti.

2. Cujus inscitiae errores, qui summa ignominia rerum scriptores afficiunt, alterum eorum genus effugere potest, qui ea via utuntur, quam Polybius eis commendat. petit enim ab illis, ut, quae descripturi sint, ipsi viderint in eisque perpetrandis versati sint atque occupati et in bellis gerendis et in re publica administranda. duo nobis instrumenta natura dedit, quibus omnia cognoscimus atque exploramus, auditum et visum, de quibus visus qui-

[1] Pol. 12, 27. 4. [2] 12, 28 a. 4. [3] 12, 25 d. 1. 25 h. 1. [4] 12, 25 h. 3. [5] 12, 25 g. 2. sequ.

dem, ut Heraclitus dicit, multo praestat auditui in vero cognoscendo, nam oculi diligentiores testes sunt, quam aures.[1] quare rerum scriptor, quoad fieri potest, ipse videat atque exploret necesse est, quae res quamquam multi laboris est magnarumque impensarum, tamen summam utilitatem affert et historiae est gravissima pars. ut etiam Ephorus dicit, si fieri posset, ut omnibus rebus gerendis interessemus, hanc experientiae rationem ceteris omnibus multo praestare, et Theopompus eadem censet et ipse Homerus Ulixem nobis talem virum describit.[2]

3. At cum rerum scriptor diversis in locis ubique et eodem tempore adesse non possit, neque unus homo omnes orbis terrarum regiones, quaeque eis propria sint, ipse videre, restat, ut audiat quidem quam plurimorum narrationes, credat autem nemini, nisi fide digno, judiciumque adhibeat auditorum non malum.[3] sed ne hoc quidem bybliaci illi, qui dicuntur, facere possunt, quippe qui ne explorare quidem recte homines possint, neque vera a falsis sejungere, cum rerum experientia eis desit.

4. De tribus autem historiae partibus, in quas Polybius totam dividit, bybliaci illi eam tantum tractare possunt, quae versatur in libris veterum perscrutandis materiaque ex eis conquirenda. quo fit, ut in tales errores inducantur, cum ex libris suis nisi de praeteritis judicare non possint, non autem de eis bene scribere, quae postea evenerunt, non magis, quam si quis perspectis veterum pictorum operibus idoneum pictorem se factum esse putet.[4] ad notitiam veterum scriptorum atque praeteritorum temporum accedat necesse est praesentis temporis scientia, qualem, qui in republica administranda versatus est, optime sibi comparat, cum quae fiant oculis suis ipse videat. tertiam historiae partem scientiam statuit esse situs urbium locorum fluminum portuum, denique eorum, quae omnibus propria sint, et quanta intervalla terra marique. omnes hae partes historiae rerum scriptori tenendae sunt, quas omnes si quis comprehendere non potest, in gravissimas certe atque summas maxima est conferenda diligentia.[5]

5. Polybio igitur totius historiae pars geographia est, qua legentibus clariora reddantur, quae ipse expositurus est. locorum naturam situmque describit, ne, cum ea legentibus ignota sint, tota narratio confusa atque obscura fiat.[6] itaque portubus maribus insulis fanis montibus locis, quibus nomina sint, diversis mundi plagis argumento uti vult, sed non nuda eorum nomina enume-

---

[1] 12, 27. 1. [2] ibid. [3] 12, 4 c. 4. [4] 12, 25 e. 5—7. [5] 12, 25 e. 16, 20. 1.
[6] 5, 21. 4.

randa esse dicit, quod in notis tantum regionibus utilitatem afferre possit, cum ignotorum locorum nomina prolata non plus valeant, quam obscurorum verborum inanis sonitus.[1] neque ut Eudoxus et Ephorus quando et quibus ducibus urbes conditae sint, qualesque sint earum conjunctiones et mutationes, sed quae suo tempore singulis in terris jam exstent descripturus est, et qui sit situs locorum quantaque eorum intervalla.

Timaeum quidem in una urbe sedentem de Assyriis Liguribus Gallis Iberis scripsisse dicit, sed sibi in animo non esse, ex mercatorum vel nautarum narrationibus terras cognoscere, nam hos plenos esse mendaciorum et miraculorum.[2] neque libros aptos esse, ex quibus res geographica cognoscatur, cum plurimi rerum scriptorum, qui, quod proprium sit, quique situs extremae cujusque regionis orbis terrarum, exponere conati sint, de plerisque in multos errores adducti sint. nam prioribus temporibus perpaucos tantum ausos esse ultimas terras explorare, quod, cum multa atque innumerabilia pericula eis mari obstitissent, et plura terra, fieri non potuisset. sed etiam si accidisset, ut invitus aliquis ad orbis terrarum fines delatus esset, aut dedita opera eo pervenisset, tamen eum propositum non peregisse. difficile enim fuisse cum ipsum aliquid videre, quod a barbaris illae regiones habitatae essent aut plane desertae, tum maxime interrogando de visis aliquid explorare atque cognoscere propter linguas barbarorum ignotas. omnium autem difficillimum fuisse, si quis aliquid explorasset, exploratis modeste uti et miracula atque monstra rejicientem veritatem sequi neque falsa nuntiare.[3] at errare quidem humanum est. prioribus igitur scriptoribus eos errores, quos in geographia tractanda inscitia adducti admiserint, condonare vult, neque illos vituperare, sed ea, quae recte cognoverint, quibusque nostram scientiam auxerint, laudare atque admirari.[4] quos autem falsa narrare talibusque narrationibus alios in errores adducere credit, eos Euhemero Messenio inferiores esse putat, quippe qui de una tantum terra, de Panchaea insula mentitus sit.[5] quo in numero ex Polybii opinione Pytheas Massiliensis est, cujus narrationes omnes sicut falsas et fictas respuit.

6. Multos dicit eorum, qui ante se de geographia scripserint, poetis et mythographis usos esse auctoribus, ex quibus scientiam suam de ignotis terris hauserint, ex Heracliti opinione dubiarum rerum testes adhibentes fide non dignos.[6] tales scientiae fontes tempori suo non aptos esse putat. nam sicut Alexandri expe-

---

[1] 3, 36. 2. [2] 3, 39. 11. 4, 42. 7. [3] 3. 58. 59. [4] 16, 14. 7. [5] Strab. 2, p. 104. [6] 4, 40. 2.

ditionibus et imperio Asia patefacta sit, ita Romanorum imperio fere omnes regiones et terra et mari iter facientibus patere, et necessarium esse, de ignotis antea meliora cognoscere studere atque veriora.[1] itaque id contendebat semper atque laborabat, ut ubique suis ipse oculis videret, quae priores in dubio reliquissent et de quibus varia nuntiassent, aut in quibus describendis poetarum usi libris miraculorumque studio adducti, in summas ineptias incidissent, quod de Alpibus, de Pado fluvio, de intimo Hadriatici maris recessu, maxime autem de extero mari evenisset.[2]

7. Quo studio impulsus tam longinqua itinera suscepit, qualia de perpaucis tantum rerum scriptoribus et geographis totius antiquitatis nobis tradita sunt, quibus itineribus tantam gloriam consecutus est, ut patria ejus urbs, de qua optime meruerat, statuae Polybio positae cum alia subscripserit, tum totam eum terram atque omnia maria pervagatum esse.[3] quo tempore Polybius tanta itinera perfecerit, quibus per nonnullos certe annos procul a patria retentus est, cum diu in dubio fuisset, Nissenii summa doctrina factum est, ut plurima nunc explanata sint.[4] Polybius enim plus decem et septem annos cum ceteris Achaeis ex patria deportatis in Italia commorari coactus est, quae terra, quamvis potentissimorum fautorum benevolentia Polybio major libertas concessa esset, ut ipsa Roma habitare posset, totamque Italiam optime cognoscere, tamen ut ceterorum Achaeorum, etiam Polybii quasi carcer erat, ex quo invito senatu nemo exire poterat. ipse autem Polybius, se simul cum Scipione Aemiliano Massiliae fuisse tradit,[5] etiam de Hannibalis moribus dicturus, se de eis ab ipsis Carthaginiensibus certiorem factum esse, et addit, „audivi etiam ex Massinissa“.[6] Nissenius primus, quo tempore Polybius Massinissam viderit, recte statuit. cum enim Achaei exeunte anno centesimo quinquagesimo a. Chr. n. in patriam dimissi essent, initio sequentis anni Polybius in Graecia fuit,[7] Massinissa autem hieme anni centesimi quadragesimi noni ad octavum mortem obiit. Scipionem autem antea, anno centesimo quinquagesimo ex Hispania in Africam venisse, ut elephantos peteret, constat,[8] neque Polybius illius comes atque amicus alio tempore eo pervenire potuit. Polybio enim cum Scipione tanta fuit amicitia atque familiaritas, ut non solum in Italia et in Graecia ea pervulgata esset, sed etiam remotioribus in terris nota.[9] recte igitur Polybius putatur cum

[1] 3, 59. 3. 4, 40. 2. [2] 3, 57. 3. 47, 6, [3] Pausan. 8, 30. 4. *ἐλεγεῖα — ὡς ἐπὶ γῆν καὶ θάλασσαν πᾶσαν πλανηθείη.* [4] Nissen in Mus. Rhen. 26, p. 241—82. [5] Strab. 4, p. 190. [6] 9, 25. [7] 37, 3. [8] Appian. Iber. 71. cf. Cic. de rep. 6, 9. [9] 32, 9.

Scipione in occidentales orbis terrarum regiones venisse, quo tempore hic ad bellum contra Celtiberos gerendum initio anni centesimi quinquagesimi primi profectus est.[1] Hannibalis autem expeditionis viam explorandi cupidi terra iter fecisse videntur, ut illo tempore Polybius Alpium jugum, quod Hannibal superaverat, Insulam Allobrogum, Rhodanum, Massiliam, Galliam denique viderit. nam Polybium hoc iter, quod in occidentales regiones se suscepisse semel atque iterum affirmat, non privatum fecisse, ex contemtione illa videre possumus, qua de Pythea loquitur, quippe qui privatum se in remotissimas terras pervenisse dixerit.[2]

8. Ab hoc itinere, quo Alpes vidit et in Gallia Iberia Africa commoratus est, aliud sejungendum est, quo Africae oram septentrionalem atque occidentalem et mare exterum exploravit, Scipione Aemiliano Carthaginem oppugnante,[3] de quo itinere jam ante Carthaginem expugnatam redierat.[4] saepius Aegyptum vidit, Ptolemaeo V Epiphane regnante et Ptolemaeo VII Euergeta Physcone.[5] Sardibus fuit,[6] fortasse etiam in urbe Rhodiorum,[7] et Hellespontum, Propontidem, Bosporum, Pontum quin viderit, dubitari non potest. in Italia per multos illos annos commoratus optime et ipsam hanc terram et adjacentes ei insulas cognovit. Graeciae autem vir in administranda republica versatus plurimas partes sine dubio inspexit. quas terras ipse non viderat, de eis optimis auctoribus usus est, ut de Asia Eratosthene,[8] de Africa Gulusa regulo,[9] sed etiam aliorum libros eum non neglexisse in terris describendis, quas ipse viderat, ex eo apparet, quod multorum errores studebat corrigere.

9. Tamen quas terrarum illarum regiones ipse viderat atque cognoverat, exigua erat earum pars, cum Galliae Iberiae Africae solas oras exactius nosset, mediterraneae autem regiones multo etiam post fere penitus ignotae essent. ne fabulas quidem de extero mari apud omnes pervulgatas itineribus suis et libris opprimere potuit, sed cum ipse, quae suis oculis viderat quaeque vera esse agnoverat, plurimi aestimaret et a libris suis populares illas fabulas prohibere studeret, quibus tum et postea Pytheae narrationes simillimas esse fere omnes putabant, mirum esse non potest, quod insulas Britannicas et Thulen omniaque, quae de extero mari Pytheas adjecerat, ab hoc ficta esse affirmat. neque Polybius propter hunc errorem nimium vituperandus est, quod cum

[1] 35, 4. [2] 34, 5. 7 (Strab. 2, p. 104. cf. p. 190). [3] Plin. 5, 9. [4] Pol. 39, 8. 3. [5] 24, 6. 5. 25, 7. Strab. 17, p. 797. [6] 21, 38. 7. [7] 16, 15. 8. [8] Strab. 14, 2. p. 663. [9] Plin. 8, 3.

alii fecerunt, tum nuper vir doctissimus [1] sed, hac in re haud scio an justo morosior, qui glorificandi Pytheae merita studio quamvis justo commotus et in alios geographos et in Polybium, vehementissime invectus est, quod Pytheae explorationes, quae quanti aestimandae sint nos scimus, illi non acceperunt. nonne timendum erat, ne alter Euhemerus vel Antiphanes exstitisset? prudentis igitur viri erat talia quasi mendacia a libris suis prohibere, neque illi sunt accusandi qui, cum frustra maximam operam in Pytheae narrationum veritatem explorandam contulissent, omnia quasi fabulosa atque ficta rejecerunt. omnia enim unius hominis testimonio et fide accipienda erant, cum nemo post illum ad has extremas regiones adire ausus esset, neque quid vere, quid falso a Pythea narratum esset, ne Romanorum quidem expeditionibus multo post Polybium in Britanniam factis satis esset exploratum. [2]

10. Summam autem eorum, quae itineribus atque explorationibus suis cognoverat, partim in singulis historiarum libris occasione oblata exposuit, partim separato historiarum libro continuo tractavit, quod ante eum et alii rerum scriptores et Ephorus fecerant. [3] Polybius saepius se nonnullis de locis separatim dicturum esse profitetur, [4] ne his describendis rerum gestarum continua narratio interrumpatur, neve ipsae descriptiones abrupte tantum atque obiter fiant, sed suo quidque loco et tempore exponatur. nam eadem ratione, qua ipsae res gestae, si quis singulas eas enarret, neque quemadmodum omnes cohaereant demonstret, non rcrte cognoscantur, etiam totius orbis terrarum figuram situm atque ordinem recte perspici non posse dicit, si nobilissimae urbes singulae visitentur aut in tabulis pictis ab aliis separatae inspiciantur. [5] separato igitur loco mare Atlanticum descripturus est, et quae in eo propria sint, insulas Britannicas, et ubi sint plumbi albi fodinae, fretum Herculeum, Iberiam ejusque argenti et auri metalla.

11. Hoc historiarum libro, quo Polybius geographiam separatim tractavit, Strabo usus est, sed numerum ejus non citat. tria tantum fragmenta, quae Athenaeus servavit, [6] tricesimum quartum librum citant, quorum quidem duo Iberiae mentionem faciunt, tertium orae Galliae. praeterea hic liber apud Stephanum Byzantinum (s. v. *Αἰθάλη*) citatur. quibus geographicis trium diversarum terrarum fragmentis, et maxime quod praecipua

---

[1] Müllenhoffius in archaeol. germ. p. 350. sequ. [2] Tacit. Agric. 10. [3] Strab. 8. p. 332. [4] 3, 59. 6. 1, 4. 6. 3, 57. [5] 1, 4. 6. 3, 57. 58. [6] Athen. 7, p. 302 c. 8, p. 330 d. 332 a.

historiae parte confecta belli Iberici narratione Polybium ad Iberorum terram copiosius describendam commoveri necesse erat, factum est, ut Schweighaeuserus primus omnia fragmenta geographica, quae non in hoc vel illo libro sine dubio ponenda erant, in tricesimum quartum colligeret, non quod demonstrari posset, omnia ex hoc libro desumpta esse. nam fieri potest, ut etiam aliis historiarum libris nonnulla fragmenta tribuenda sint aut plane ab historiis sejungenda.

12. Libro autem tricesimo quarto chorographiam et topographiam, quas dicunt, spectasse videtur,[1] qui sit situs terrarum locorumque singulorum, et quae intervalla eorum descripturus, remotiora maxime loca magisque ignota aut nuper demum patefacta.[2] quibus judicium suum adjunxit, quod habuit de eis scriptoribus, qui antea de geographia scripserant ab Homero ad Eratosthenem, qui proximus a Polybio geographiam tractaverat.[3] nam Homerus ex Graecorum opinione primus omnium geographorum erat, ut etiam Eratosthenes de ejus carminibus scripsisset. cujus homericae geographiae amantissimus Strabo ex hac ipsa libri Polybiani parte plurima nobis servavit,[4] et nimium suum amorem nimiamque admirationem secutus graviora nobis tradere omisit, cum Polybius, qui summo habebatur loco inter antiquitatis geographos,[5] Strabonis sententiae, quam de Homero hic habuit et de ejus geographia, maximam adderet auctoritatem, Eratostheni autem oppositus esset. hic enim vir omnium sui temporis doctissimus de hac omnium fere Graecorum opinione decedere ausus erat, qui cum multa alia, tum geographiam ex Homeri carminibus discere se posse putabant. Erastothenes autem Homerum sicut omnes poetas non scripsisse affirmabat, ut doceret, sed ut delectaret.[6] quanto huic viro Polybius postponendus sit, nemo est, quin videat. nam multum hic operae in veris locis reperiendis ponebat, per quae Ulixes erravisset, neque hoc studio impulsus ipsa poetae verba mutare dubitabat,[7] quo facto re vera locus inveniebatur, quem quaerebat. quod cum ubique fieri non posset, poetam putabat vera cum falsis mixta tradere, neque Ulixis *ἐξωκεανισμὸν* quem dicunt accipere ausus est, quamvis poetae verba eum poscant.[8]

De aliis geographis non solum in libro tricesimo quarto, sed etiam in aliis historiarum libris, in singulis describendis terrae partibus dixisse videtur, inscitiam eorum et errores obtegens et

---

[1] Strab. 2, p. 104. 8, p. 332. 10, p. 465. [2] 3, 57—59. [3] Strab. p. 104. [4] Strab. 1, 2. p. 15. [5] Strab. 1, 1. p. 2. [6] Strab. 1, p. 15. [7] Strab. p. 25. [8] ib.

ex meliore sua scientia itineribus parta eos emendans. tali ratione de Pythea,[1] Dicaearcho,[2] Eratosthene,[3] judicavit, etiam de Eudoxo,[4] Ephoro,[5] Timaeo,[6] Zenone Rhodio,[7] Demosthene[8] κτίσεων scriptore.

13. Non omnia autem, quae de Polybii geographia nobis traduntur, ex historiarum libris desumpta sunt. quod ex eis apparet, quae Strabo narrat et quae Geminus eadem de re. Strabo[9] enim de zonis dicturus, quibus Polybius totam terram diviserit, libro tricesimo quarto sine dubio usus est. sententiam igitur Polybii in eo legebat, zonam sub aequinoctiali sitam caelo frui temperato. eandem sententiam ex Polybio Geminus[10] citat, sed addit, Polybium librum ea de re scripsisse, qui inscribatur de habitatione circa aequinoctialem. Schweighaeuserus quidem hunc librum tricesimi quarti partem esse putat, sed causae, quas Strabo ex Polybio affert, prorsus de eis decedunt, quas apud Geminum legimus et paulo infra descripturi sumus, qui sine dubio ex eodem scriptore suas habet. ipsam autem hanc causam, quam Geminus Polybio attribuit, Strabo Posidonii sententiam esse dicit, qui apud Strabonem Polybium propter causam, quam dixerit, vituperat, neque aliam ejus cognosse videtur. Posidonius autem ipse hac in divisione terrarum pugnantia secum dixerat et sententiam suam mutaverat.[11] fortasse jam Eratosthenes, qui primus sub aequinoctiali temperatum esse caelum putaverat, similem causam protulit, quam secutus postea Polybius mutavit. hoc quidem constat, Strabonem et Posidonium in Polybii libro tricesimo quarto aliud legisse, ac Geminum in ejusdem libro ea de re conscripto, quod declarari non potest, nisi alium fuisse librum statuamus, sive ante historiarum libros conscriptos sive post eos, quo sententiam suam separato loco Polybius exposuerit.

14. Etiam periplus orae libycae, quem Plinius nobis tradit,[12] sine dubio neque libro tricesimo quarto, neque alio historiarum attribuendus est. Artemidorus enim et Strabo[13] vehementer Eratosthenis occidentalium regionum inscitiam vituperant, et maxime, quod in extero mari ad oram libycam multas urbes esse scripserit et insulam Cernen, quae omnino non exstent. itaque cum Strabo Polybium maximi aestimaret, qui fieri potuit, ut librum ejus, quem paulo ante copiosius tractaverat, hac in re plane

---

[1] Strab. 2, p. 104. 4, p. 190. [2] id. p. 104. [3] ib. [4] id. 10, p. 465. [5] ib. [6] Pol. 12. cf. 34, 10. 5. Strab. p. 183. [7] 16, 16. sequ. [8] 12, 1. 5. [9] Strab. 2, p. 97. [10] elementa astron. 13. ap. Petav. Uranol. p. 54. [11] Strab. p. 97—98. [12] Plin. 5, 1. 8. [13] Strab. 1, p. 47. 17, p. 826. p. 829.

neglegeret, quippe qui gravissimus testis esset, cum ipse Polybius se in illis regionibus fuisse affirmaret et adeo intervallum, quod inter insulam Cernen et continentem esset, indicaret, quantoque singula loca inter se distarent? neque hoc est neglegendum, cum Polybius Atlantem montem prorsus a ceterorum opinione decedens alia in regione Africae posuisset, hanc rem Strabonem silentio praeterire.

Polybius autem ab hac expeditione, quam Scipio amicus ejus paraverat, ante Carthaginem expugnatam rediit. fieri igitur non potuit, quin, quae Polybius exploraverat, aut in libris suis historiarum postea editis, aut, quod re vera factum est, antea separato libro describeret, qui cum historiarum corpore non conjunctus erat. quo factum est, ut praeter Plinium nemo quidquam neque de magno hoc Polybii itinere nobis tradat, neque de eis, quae ille exploraverat. ut Hannonis illius periplus, Polybii quoque quod sciam nihil valuit ad vulgarem opinionem corrigendam, qualis de Africae figura et magnitudine ab Eratosthenis tempore per multa saecula pervulgata erat. quod non accidisset, si periplus librorum historicorum pars fuisset, aut de eis, quae Polybius hoc itinere cognoverat, omnino ibi ulla mentio facta esset.

15. Haec igitur sententia rejicienda est, qua commoti nonnulli libro tricesimo quarto totius orbis terrarum geographiam Polybium tractaturum fuisse putant. sed non dubitandum est, quin occidentales tantum terras eisque adjacentia maria illo libro expositurus esset, quae historicis suis libris maximi momenti erant, quibus sine dubio totius orbis terrarum descriptio et mensura praemissae erant, cum judicio ejus de prioribus geographis. sed ut de Italia Bosporo Ponto Maeoti separatim tractavit in quibusdam historiarum libris, haec fortasse sententia probanda est, eum etiam alias geographiae partes, de quibus χωρὶς se dicturum profitetur, in historiarum quodam libro separatim et in continuo exposuisse, velut de Hierosolymis[1] et de Africa.[2] ab historicis autem ejus libris et liber, qui inscribitur de habitatione circa aequinoctialem et periplus orae libycae sejungendi sunt.

[1] 16, 39. 4. [2] lib. 12.

II.

Quoniam vidimus qua de causa Polybius et qua ratione geographiam tractaverit, et nonnulla de libris ejus adjecimus, sequitur, ut de singulis ejus rerum geographicarum partibus sit nobis dicendum, quae senserit de tota terra et quemadmodum eam diviserit, deinde quales sint singulae orbis terrarum partes, quoad fieri licebit ex servatis nobis fragmentis atque ex nostra facultate.

1. Ac totius quidem terrae globum ut dividat, diversis utitur aeris et caeli plagis. prima enim ex ejus opinione et maxima scientia est omnibusque hominibus communis, qua caelum, quo continemur, dividimus et orientem occidentem meridiem septentriones distinguimus.[1] altera est, qua his singulis partibus singula terrae loca subjicimus, quo fit, ut, cum diversis aeris et caeli plagis illa sint subjecta, etiam homines eis similes reddantur neque alia de causa maxima populorum varietas formis coloribus moribus studiis efficiatur,[2] et sola hac scientia audientibus legentibusque etiam de non visis antea neque notis intellectus afferatur.

2. Totam igitur terram ex diversis caeli plagis sex zonis dividit, quarum duae sub arcticis ponuntur, duae inter arcticos circulos et tropicos, duae inter hos et aequinoctialem.[3] duas illas, quas aequinoctialis dirimit, omnes a Parmenide, qui primus in quinque zonas terram diviserat,[4] ad Eratosthenem unam esse censebant, et etiam post hunc plerique, cum eadem esset ejus caeli plaga. etiam Eratosthenes quinque zonas in Herme habebat,[5] quarum duae tantum habitabiles erant, duae autem arcticis subjectae et torrida circa aequinoctialem sita inhabitabiles. in geographicis[6] autem in duas zonam torridam dividebat, inter quas temperatam tertiam sub ipsa aequinoctiali patere putabat, eandem fortasse hujus opinionis causam afferens, quam ex Polybii libro separato Geminus nobis tradit et quam Posidonius, ipse Polybium vituperans, ejusdem rei causam esse dicit.

3. Geminus[7] autem ex Polybii libro, qui inscribitur de habitatione circa aequinoctialem, tradit, Polybium putasse in media

---

[1] 3, 36—37. 5, 21. 8. [2] 4, 21. [3] Strab. 2, p. 97. [4] id. p. 94. [5] Achilles Statius, isag. in Arati phaen. 29. ap. Petav. p. 153. Verg. Georg. 1, 233. [6] Strab. p. 95. 97. [7] Geminus 13.

torrida zona loca habitari et habere magis temperatam habitationem, quam habeant ei, qui circa extremitates torridae zonae habitent. ac partim historias eum afferre eorum, qui viderint has regiones, partim ratiocinari ex naturali solis motu. „sol enim, inquit, circa tropicos circulos longo commoratur tempore secundum accessum ad eos et discessum, ut fere ad dies quadraginta maneat in tropicis circulis. quam ob causam magnitudines dierum fere ad dies quadraginta manent eaedem. unde cum mora fiat ad illas habitationes, quae sitae sunt sub tropicis, ardore torreatur haec habitatio necesse est, atque inhabitabilis fiat propter aestus excessum. at ab aequinoctiali circulo contingit ut veloces fiant discessus, unde etiam magnitudines dierum magna capiunt incrementa: consentaneum est igitur, eas etiam habitationes, quae sunt sitae sub aequinoctiali, magis esse temperatas, cum adscensio quidem fiat super puncto verticali, velociter tamen sol recedat. omnes enim, qui inter tropicos circulos habitant, ad adscensum solis similiter sunt collocati, is tamen diutius apud eos commoratur, qui circa tropicos habitant. quam ob causam contingit, ut temperatiores sint eae habitationes, quae sunt circa aequinoctialem quaeque sitae sunt in media zona torrida, quam sunt eis, qui circa extremitates zonae torridae habitant, quiq u unt positi sub tropicis.“

4. His consentiunt, ut jam supra diximus, Posidonii verba, quae Strabo tradit[1]: *ἐκεῖ τὰς μεταστάσεις ὀξυτέρας εἶναι τὰς εἰς τὰ πλάγια, ὡς δ'αὔτως καὶ τὰς ἀπ' ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν τοῦ ἡλίου· ὀξύτεραι γὰρ αἱ κατὰ μεγίστου κύκλου τῶν ὁμοταχῶν κινήσεων.* apud Geminum autem alia causa non legitur, quam et Posidonius impugnat et Strabo. nam ex illius opinione zona illa temperata, quae sita erat sub ipsa aequinoctiali, plana erat neque altior, quam mare, Polybius autem eandem simul omnium altissimam esse putabat,[2] cujus ad summos montes nubes quam plurimae ex septentrionalibus regionibus etesiis deferrentur, ut terra montibus subjecta etiam pluviis irrigaretur. quibus de montibus Nilum putabat profluere, ut ex eis, quae Posidonius contra hanc sententiam affert, apparet. plerique autem totam hanc zonam torridam esse et omnino inhabitabilem censebant, alii, ut Crates[3] Cleanthem secutus non terram ibi, sed mare patere propter aestum innavigabile.

5. Ut tropicus terrae a nobis habitatae finem a meridie facit, ita septentionalem arctici declinatio ex Polybii sententia,

---

[1] Strab. p. 97. [2] Strab. 97—98. [3] Geminus 13.

recte jam a Posidonio rejecta,[1] cum mutabilibus finibus immutabilia non sint terminanda. nam arcticus diversus est pro cujusque observantis loco, Polybius autem descriptiones suas facit, sicut in circumscribendis singulis orbis terrarum partibus, ab aequinoctiali illa per columnas Herculis Rhodumque ducta. quare cum Posidonius aliique eum vituperaverunt, tum usque ad hoc tempus omnium libri sunt pleni accusationum in Polybium conjectarum. hic autem legentibus morem gerens antiquorum rerum scriptorum usum secutus est, neque quae tum recentiores astronomi et mathematici constituerant, respexit, cum unum neque id levissimum a Pythea esset profectum, quem virum quasi mendacem contemnebat. sine dubio Polybius, cum terrae divisionem per parallelas aequinoctiali et per meridianas, a Dicaearcho inceptam, ab Eratosthene correctam atque amplificatam, non acciperet, legentibus putabat intellectum se praebiturum faciliorem, quali definiendi ratione jam Ephorus[2] et Timosthenes[3] sunt usi, cuique similem etiam postea apud Posidonium invenimus.[4]

6. Haec igitur totius terrae pars inter tropicum et arcticum circulum sita, terra est a nobis habitata, quae quanta sit ex Polybio quidem non est traditum. sed dubitare non possumus, quin de ceterorum geographorum sententia non decesserit, quorum primus Democritus[5] longiorem eam esse, quam latiorem putabat et cujus longitudinem Eratosthenes plus esse duplo latitudinis invenit.[6] Dicaearchus[7] autem primus linea aequinoctiali parallela et per columnas Herculis ad orientalem Asiae finem ducta totam hanc terram habitabilem in septentrionalem partem et meridionalem dividere erat conatus, tres autem illas orbis terrarum partes antiquitus traditas nova hac partitione tollere jam non potuit, quamvis etiam Eratosthenes illas quasi sine causa et ratione factas vituperaret et omnino rejiceret, quod, cum terra una esset, jam Herodotus fecerat.[8] quarum orbis terrarum partium etiam ipse numerus diu erat controversus, neque qui fines earum essent, satis constabat. Jones[9] enim, cum duas esse partes alii censuissent, septentrionalem Europam, meridionalem Asiam cum Africa, tres acceperant, quae controversia denique vulgari illa opinione finita est, qua Maeotim et Tanaim Europae et Asiae fines esse ab oriente

---

[1] Strab. p. 97:. *τοῖς μεταπίπτουσι σημείοις οὐχ ὁριστέον τὰ ἀμετάπτωτα* cf. p. 108. [2] Fragm. 38. ed. C. Mueller ex Cosma Indopl. p. 148. Scymni Chii v. 169. Mueller geogr. min. I p. 201. Strab. p. 34. [3] Agathem. 7. [4] Plin. 6, 57. [5] Agathem. 2. Mueller II. p. 471. [6] Strab. p. 64. Agathem. 5. p. 472. [7] Agathem. [8] Herod. 4, 45. [9] ib. 2, 16.

aestivo ad occidentem hibernum plerique putabant, non Phasim et Araxem, qui fluvii ex vetustiorum sententia ab oriente ad occidentem has terras terminabant. Africae autem et Asiae qui essent fines diutius in dubio erat relictum, neque quidquam ab Herodoto usque ad Polybium constabat. Jonum opinionem, Nilum esse finem, Herodotus impugnabat,[1] cum Nilus Africae fluvius esset, non finis, Africam autem ab Asia sinum arabicum censebat terminare et montes Arabiae, a Syria Casium montem, quos fines etiam plerique retinebant. tamen Polybius antiquam illam Jonum sententiam secutus Nilum habet Asiae et Africae finem. Europam autem ab Asia Tanaim dirimere et Maeotim etiam Polybius putat, et ab Africa interni maris ostium, quod est ad columnas Herculeas.[2]

7. Quae orbis terrarum partes cui caelo sint subjectae et qua in regione ponendae legentibus demonstraturus addit,[3] Asiam spatium complecti, quod sit inter orientem aestivum et meridiem, Africam continuam esse inter meridiem et occasum hibernum usque ad occasum aequinoctialem, quae sit ad columnas Herculis, ut, si totum spectemus spatium, hae duae partes interni maris oram meridionalem cingant ab occidente ad occasum. Europam autem his oppositam septentriones spectare et minorem esse quam illas, cum ea septentrionalis hemicyclii pars, quae sit inter aequinoctialem per columnas ductam et ortum aestivum, Asiae sit adjungenda.[4] haec divisio uni tantum loco est apta, quo is, qui describit, ipse stat, apud Polybium igitur aequinoctiali per columnas Rhodumque ductae. Omnibus autem aliis locis talis descriptio falsam excitabit opinionem, cum multi sint et ortus et occasus aequinoctiales aestivi hiberni. sed non insolitam fuisse talem divisionem ante Polybium, Ephorus docet, qui orbis terrarum maximos populos pro diversis caeli plagis divisit, et Timosthenes, qui ventis usus est ad demonstrandas populorum sedes.

8. Atque hanc quidem terram habitatam alii Homeri secuti opinionem sicut insulam Oceanum cingere putabant, qui fluctus suos in terram immitteret et quattuor illos sinus magnos efficeret, mare Internum, Rubrum, sinum Persicum, mare Hyrcanium. alii autem a meridie continuam esse terram ab Africa usque ad Indiam orientalem censebant, ut hac terra magnum illud mare australe circumcluderetur, quod Rubrum jam ab Herodoto vocatur. Polybius quidem Oceanum totam cingere terram putat,[5] sed de

---

[1] ib. 2, 17. cf. 32. 158. [2] 3, 37. [3] ib. [4] Strab. p. 107. [5] Strab. p. 98: *σύρρουν φασὶν εἶναι τὸν ὠκεανόν.*

Asiae Africaeque conjunctione neque huic neque illi opinioni addicere se vult. nemo enim, inquit, ad hoc tempus sine dubio affirmare potest, utrum a meridie circa Aethiopiam Asia et Africa cohaereant et terra sit continua, an mare eam circumfluat.[1] sed cum terram putet circa aequinoctialem esse omnium altissimam et etiam ab ea magis meridiem versus terram patere videatur censere, non dubitamus, quin illam sententiam secutus sit, quam apud Aristotelem primum invenimus et quae postea ab Hipparcho, Marino, Ptolemaeo vulgaris est facta. magnum igitur mare australe, quod Rubrum nominatur, nulla ei fuit maris Atlantici pars, sicut Eratostheni videbatur. duos autem hujus Rubri maris sinus separatis nominibus distinxisse non videtur, sed totum, ut Herodotus, maris Rubri nomine complexus est (ἡ Ἐρυθρὰ θάλαττα). in Polybii libris[2] hoc nomen non legitur, nisi in sinu appellando, qui persicus ab aliis vocatur, in quo etiam Arabiae aromatum mentionem facit.[3]

9. Eadem ratione ab Eratosthenis decedit opinione, cum mare Hyrcanium,[4] cum Oceano confluens non faciat; quod Polybium putasse ex sedibus apparet, in quibus Apasiacas Nomades collocat. habitare enim hos censet inter Oxum fluvium, qui in mare Hyrcanium influat, et Tanaim, qui in Maeotim.[5] Schweighaeuserus quidem Polybium hoc loco Tanaim putat et Jaxartem confudisse, qui in Caucaso Indiae monte exortus in mare Hyrcanium influit et a Macedonibus,[6] qui etiam aliorum montium fluviorumque nomina illarum regionum mutaverant, Tanais est appellatus. sed quamvis scriptorem illum nobis non notum, ex quo Polybius hac de re sua hauserit, Jaxartem Tanais nomine intellexisse verisimile sit, Polybius tamen solum illum Tanaim Asiae atque Europae finem intellexit, quo fit, ut mare Hyrcanium inter Oxum et Tanaim in Oceanum effluere et Apasiacarum sedes dirimere putare non possit.

10. Jam supra diximus Polybium putasse Oceanum totam cingere terram, cujus maris occidentalem partem, qua ora Africae et Europae alluatur alios Oceanum nominare dicit, alios mare Atlanticum.[7] multo autem praestat mari interno sive nostro magnitudine, cui etiam opponitur et exterum vocatur et magnum. (ἡ ἔξω καὶ μεγάλη θάλαττα,[8] ἡ ἔξω, ἡ ἐκτός[9]). ignotum est et a paucis visitatum, cum orae ejus ad fines Africae et Europae ab

[1] 3, 38. 1. [2] 5, 46. 7. 48. 13. 54. 12. 9, 43. 2. 13, 9. 3 et 5. [3] 13, 9. 5. [4] 5, 44. 5. cet. [5] 10, 48. 1. [6] Arriani exp. Al. 3, 30. Strab. p. 509. 510. [7] 16, 29. 6. [8] 3, 37. 11. [9] 3, 37. 9. 57. 2. 59. 7. 16, 29. 9.

inhospitalibus et barbaris nationibus incolantur. separato autem loco se de hoc mari dicturum esse profitetur et de eis, quae in eo propria sint,[1] sicut de ostio, quo cum interno mari conjungitur, quodque est ad columnas Herculeas (*τὸ καθ' Ἡρακλείους στήλας στόμα*,[2] *ὁ καθ' Ἡρακλείους στήλας πόρος* sive *πορθμός*[3]), ubi fines etiam sunt Africae et Europae. quibus de columnis[4] apud Graecos multae fabulae pervulgatae erant, diversissimisque eas in locis posuerunt, quo factum est, ut etiam intervalla apud singulos varia inveniantur.[5] Polybius[6] fretum sexaginta stadia latum esse tradit, cum Dicaearchum et Eratosthenem secutus columnas ad ipsum esse fretum sitas putaret, alii[7] autem et ante eum et post eum in insula eas collocabant, ubi Gades erant, aut etiam majus accipiebant intervallum, nunc insulas eas esse interpretantes, nunc montes in ora sitos.

11. Interni autem maris (*ἡ καθ' ἡμᾶς, ἡ ἔσω*[8] *θάλαττα*) magnitudinem nunquam Graeci satis habebant cognitam, ut etiam Marinus et Ptolemaeus nimiam eam acciperent. Eratosthenes et Hipparchus, qui post Polybium floruit, viginti septem milium trecentorum stadiorum esse longitudinem putabant; ex plurimorum autem sententia, quam Strabo[9] affert, viginti quinque milia quingenta stadiorum erant. quorum variorum numerorum nimiaeque longitudinis causa fuit, quod oram ibericam et cum ea columnas plerique vero magis occidentem versus extendebant et etiam sinus Issici finem magis orientem versus esse putabant. quae Polybii sententia fuerit, non satis constat, nam quae Plinius et quae Strabo de Polybii maris interni mensura nobis tradunt, contraria sunt et secum pugnantia.

12. Lineae enim aequinoctialis, quae est per columnas Rhodumque ducta, singula loca haec habent apud Plinium[10] intervalla:

a Gaditano freto ad Siciliam	1,260500 p. =	10,084*) stadiorum
ad Cretam	375000 . .	3000.
ad Rhodum	183500 . .	1468.
ad insulas Chelidonias .	183500 . .	1468.
ad Cyprum	322000 . .	2576.
Syriae Seleuciam Pieriam . .	115800 . .	927.
	2,440300 p.	19,523 st.

*) in comparandis milibus Plinianis cum stadils Polybii octona stadia in singula milia sunt computanda, quamvis Polybium ipsum tertiam stadii partem

[1] 3, 57. 2. [2] 2, 1. 6. cet. [3] 3, 57. 2. [4] 3, 39. 4. [5] Müller ad Scyl. 1. [6] 16, 29. 9. [7] Strab. 171. 172. [8] 3, 37 9. cet. [9] Strab. p. 106. [10] Plin. 6, 206.

apud Strabonem[1] autem ἐκ τῆς παιδικῆς μετρήσεως basis trianguli, quod construitur ex oris Italiae Iberiaeque et ex aequinoctiali per columnas et Siciliam ducta, duodeviginti milia septingenta sexaginta quattuor stadiorum longa esse dicitur, nam Iberiae oram octo milia esse dicit, Italiae undecim milia ducenta stadiorum, perpendicularem ex angulo prope Narbonem posito ad basim trianguli ductam duo milia. qui numerus cum a Pliniano tantopere decedit, tum optime cum Polybii sententia convenit, quam habet de situ orae Italiae et Iberiae, quacum etiam columnae magis occidentem versus ab eo ponuntur. a Strabone autem, quod Polybius hac de re senserit, tali ratione nobis est servatum, ut nihil dubitari possit, quin numerus a Plinio traditus sit falsus. corrigendo autem eum, quod Gosselinus[2] fecit, Strabonis numero similem reddere non licet.

13. Qua in re hoc quoque est commemorandum, quemadmodum Polybius a se ipse dissentiat et pugnantia cum illo numero dicat in afferendo spatio, quod est inter Carthaginem et columnas. ipse enim dicit,[3] Lilybaeum Siciliae promontorium ab Africae promontoriis Carthagini adjacentibus mille abesse stadia. ipsa autem Carthago a columnis 1100 M. p. (8800 stadiorum) abest, ut ex ipso Polybio Plinius[4] tradit. fieri igitur nullo modo potuit, ut Lilybaeum mille stadia abesset a promontoriis illis prope Carthaginem in mare excurrentibus, nisi inter Siciliam etiam et columnas tale esset intervallum acceptum, quale Polybium habuisse Plinius dicit, cum ex Strabonis numero Lilybaeum multo magis orientem versus a Carthaginis promontoriis esset collocandum. tamen Strabonis numerus retinendus est et Plinii rejiciendus, cum etiam alia de causa Plinii numerum falsum esse videre possimus. nam cum 19,523 stadiorum a columnis ad Syriae Seleuciam Pieriam dixisset, ex eodem Polybio a columnis ad canopicum Nili ostium 21,500 stadiorum esse tradit,[5] qui numerus quantopere cum illo pugnet, nemo est quin intellegat. dissensio eorum tali fortasse ratione interpretanda est, ut Polybium singulas tantum

octonis adjecisse constet (Strab. VII, 7. p. 322. epit. Strab. cram. 7, 57. p. 90.). nam recte Ukertus vidit Pol. 3, 39 ταῦτα γὰρ νῦν βεβημάτισται καὶ σεσημείωται κατὰ σταδίους ὀκτὼ διὰ Ῥωμαίων ἐπιμελῶς, interpolatoris esse, non Polybii. sed non dubitandum est, quin Plinius in calculis suis hoc non respexerit, sed omnium rationem secutus octona stadia computaverit. in reducendis autem Polybianis milibus ad stadia tertia pars octonis est adjicienda.

[1] Strab. p. 105. [2] recherches II. [3] 1, 42. [4] Plin. 5, 40. [5] Plin. 5, 26. 5, 7. 40.

priorum scriptorum geographiae partes correcturum, quas ex meliore sua scientia corrigere se posse putaverit, Dicaearchi mensuram septem milia dicentis a Sicilia ad columnas, rejecisse opinemur, sed in Africae ora metienda Eratosthenem eum secutum esse, cujus mensuram quasi justam receperit, in collocandis autem Lilybaeo et Carthaginis promontoriis Eratosthenis tabulam geographicam ante oculos ei esse obversatum. apparet simul ex his, Polybio non in animo fuisse, nova tabula geographica Eratosthenicam corrigere, quod faciendum erat ei in tam diversis numeris, si omnia haec secum pugnantia in unum librum essent ab eo congesta, quo via et ratione totam geographiam tractasset.

14. At cum optima de causa primum Plinii numerum rejecerimus, non est, cur reliqui non sint nobis accipiendi. nam quamvis in singulis computandis ab aliis valde recedat, tamen universus numerus Strabonis numero adjecto eam maris interni exhibet longitudinem, quam Polybium habuisse negare aut argumentis refellere non possumus.

Dicaearchus[1] a Sicilia ad Peloponnesum tria esse milia stadiorum putabat, Polybius[2] autem 4000 et exactius apud Strabonem[3] a Sicilia ad Maleas 3736 (nam a Maleis ad columnas 22500 computat, a Sicilia ad easdem 18764). apud Plinium a Sicilia ad Cretam 3000 stadiorum legimus, Polybius igitur hanc insulam magis occidentem versus collocat, cum plurimi a freto siculo ad Cretam 5500 stadiorum esse dicant[4] et a Pachyno ad eandem 4500, qualem numerum etiam ad Taenarum habent. a Creta ad Rhodum apud Plinium 1468 stadia sunt fortasse insulae longitudine omissa, cum Strabo 3000 dicat, inde Seleuciam ille 4970, Strabo ad intimum sinus Issici recessum 5000 stadiorum esse tradit. totum stadiorum numerum si spectamus hujus orientalis interni maris partis, quae est a freto siculo ad Seleuciam, 4000 stadiorum minorem eum reperimus, quam is numerus est, quem Strabo affert, quae res tali modo interpretanda est, ut totius maris longitudinem vulgo acceptam nimiam facere Polybium noluisse putemus. nam si his numeris Plinianis Strabonis adnumeraverimus eum numerum, quem a columnis ad fretum siculum esse tradit, maris interni longitudinem 28203 stadiorum inveniemus, qualem fortasse Polybius habuit. mille tantum stadiis Eratosthenis et Hipparchi numeros excedit, sed multo pluribus posteriorum, quae nimia magnitudo, ut jam supra diximus, nimia ibericae orae

[1] Strab. p. 105. [2] 12, 4 d. 6. [3] Strab. p. 25. [4] id. p. 106.

longitudine facta est, quippe quae fere ab oriente ad occidentem pateret et quam paene 2000 stadiorum majorem haberet Polybius quam Eratosthenes.[1] quo factum est, ut etiam columnae justo nimium occidentem versus ab eo essent collocatae.

15. Ut de longitudine interni maris, etiam de latitudine veteres geographi falsam habebant opinionem. totum enim mare Eratosthenes 3000 stadiorum esse latum putabat, quem secutus Polybius[2] maximam esse latitudinem hunc numerum inter Europam et Africam, et recessum sinus, qui sit ad Narbonem, ab Africa 3000 stadiorum distare, quod intervallum posteriores 5000 esse stadiorum putabant.[3] in orientali autem maris parte latius mare patet, cum ab Alexandria Rhodus 4000 stadiorum absit,[4] cui similem numerum etiam Eratosthenes[5] habet, qui minus 4000 esse dicit et apud Plinium[6] 3750. nam interni maris ora meridionalis fere orientem hibernum versus ex illorum opinione se extendit a columnis Herculeis ad Nilum fluvium, ut, cum ad columnas ab ipsa aequinoctiali incipiat, prope Carthaginem jam plus mille stadia ab eadem aequinoctiali absit et prope Alexandriam quattuor milia stadiorum.

De interni maris partibus.

16. Totam interni maris partem occidentalem ab Eratosthenis nomine[7] non decedens Sardonium mare nominat (*τὸ Σαρδόνιον πέλαγος*,[8] *τὸ Σαρδῷον*[9]), quod postea ibericum ligusticum sardonium nominatum est.[10] oram Iberiae alluit et Galliae usque ad Rhodanum et eam terram, ubi Massilia sita est.[11] Sardinia autem nomen ei dedit, quod et alii et Polybius de situ hujus insulae falsam habebant opinionem, cum sitam eam esse propius ab Iberia quam a Sicilia putarent, prope eum locum, quo perpendicularis a Narbone ad aequinoctialem ducta hanc attingeret. alios quoque hanc opinionem habuisse Artemidorus docet, qui ipsam illam aequinoctialem per Caralim in Sardinia sitam ponebat.[12]

17. Lilybaeum Siciliae promontorium, quod mille tantum stadia ab ora libyca abest, sardoum mare dirimit et Africum,[13] ut quasi fretum fiat ex veterum opinione.[14] hoc in mare exterum Siciliae latus se vertit[15] (*ἡ ἔξω πλευρά*), etiam Peloponnesi Tri-

---

[1] ib. [2] id. 105. [3] id. p. 115. [4] id. p. 25. [5] id. p. 86. [6] Plin. 5, 36. [7] Plin. 3, 10. [8] 3, 37. 8. cet. [9] 1, 10. 5. cet. [10] Strab. 122. [11] 2, 14. 6. 3, 37. 8. [12] Plin. 2, 112. 242. [13] Pol. 1, 42. [14] Strab. p. 122. [15] 1, 37. 4.

phylia, extrema Arcadiae pars, quae spectat ad occasum hibernum.[1] sinus maris Africi sunt Syrtis major et Syrtis minor, quam minorem a Polybio 300 m. p. ambitu, 100 m. p. aditu dictam esse Plinius tradit.[2] sed cum Strabo ambitum ejus mille sexcentorum stadiorum esse dicat, pro CCC m. p. apud Plinium CC (1600 stadia) legenda esse C. Muellerus censet.[3] quales autem multi sint numeri Pliniani jam supra vidimus, qui quamvis sint falsi, tamen corrigendo aliis similes non reddendi sunt. quod si liceret omnes difficultates eadem ratione facile tollerentur.

18. Cum mari Africo mare Siculum confluens est, in quod meridiem versus Siciliae promontorium Pachynus excurrit.[4] hoc mare Italiae oram meridionalem alluit, cujus extremum promontorium Cocynthus id a freto ionio sejungit. etiam Epiri Acarnaniae Cephalleniae Peloponnesi orae ad mare Siculum sitae sunt,[5] totum igitur mare est, quod inter Siciliam patet et Italiam usque ad fretum ionium et Graeciam. ad Triphyliam autem hoc mare non pertinet. maris Siculi eam partem, quae est ultra Siciliam ad Sallentinos mare Ausonium vocat,[6] quo nomine olim totum mare Siculum nominabatur.[7] fluctus suos mare Siculum in sinum corinthiacum[8] immittit, qui inter Araxum Peloponnesi promontorium et Oeniadas Acarnaniae urbem fere centum stadia latus est[9] et inter utrumque Rhium, Aetoliae et Achaiae promontoria artissimus. Rhium etiam fretum inter utrumque promontorium vocatur.[10] etiam sinus Ambracicus[11] maris Siculi pars est, inter Epirum et Acarnaniam situs, quas sinus dirimit. Artissimus est ad Acarnanum fanum, quod Actium vocatur, quo loco ostium sinus est minus quinque stadia latum. in interiore autem parte sinus magis patet, ut centum stadia latus sit et trecenta a mari in terram immissus.

19. Fretum Siculum (ὁ πορθμός[12]) mare Siculum cum mari Etrusco conjungit et duodecim stadia latum est.[13] ab occidente id Pelorias terminat Siciliae promontorium, ab Italia autem Scyllaeum promontorium[14] in mare excurrit. fluctus ejus antiquis periculosissimi videbantur, ut ad hoc fretum Homeri Scyllam et Charybdim ponerent. quare etiam Polybius copiosius de eo dicit, de Scyllaeo promontorio et qua ratione galeotae ibi capiantur, ut locum inveniat, quem Homerus describat. et tantopere hac opinione captus erat, ut cum Homerus de Charybdi dixisset

---

[1] 4, 77. 8. [2] Plin. 5, 21. [3] geogr. min. II, p. 473. [4] 1, 42. 4. [5] 5, 3. 9. 12, 4 d. 5. [6] Plin. 3, 75. [7] Strab. 123. [8] 4, 57. 5. [9] 4, 65. 10. [10] 4, 64. 2. [11] 4, 63. 5. 5, 5. 13. [12] 1, 7. 1. [13] 1, 42. 5. [14] Strab. p. 24.

τρὶς μὲν γάρ τ᾽ ἀνίησιν, neque in fluctibus freti tale quid videri posset, errasse Homerum mallet putare, quam se ipsum.[1] (τρὶς ἀντὶ τοῦ δὶς γραφικὸν εἶναι ἁμάρτημα ἢ ἱστορικόν.)

20. Mare Etruscum[2] Italiae oram alluit usque ad eum locum, quo Apenninus mons cum Alpibus cohaeret supra Massiliam et Ligurum terram.[3] alteram Italiae oram mare Hadriaticum alluit, quod cum mari Siculo fretum Jonium conjungit. antiquius hujus maris nomen sinus Jonius erat, ut neque Herodotus neque Thucydides mare Hadriaticum noscant, sed illud nomen olim ad intimum sinus recessum pertinebat, cujus sinus pars Hadria erat ad ipsam urbem Hadriam. posteriores utroque utuntur sinus nomine ad totum sinum appellandum, et Strabonis[4] tempore sinus ionius non nisi meridionalis maris Hadriatici pars est. etiam apud Polybium eadem fortasse ratione sinus ionius nominatur[5] (ἰόνιος κόλπος), et fretum ionium (ἰόνιος πόρος)[6] inter mare Hadriaticum et Siculum situm est. ipse sinus Hadriaticus ὁ κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπος[7] vocatur et Ἀδρίας[8] et ἡ κατὰ τὸν Ἀδρίαν θάλαττα,[9] cujus intimus recessus ὁ τοῦ παντὸς Ἀδρία μυχὸς[10] nominatur et ὁ Ἀδριατικὸς μυχός,[11] antiquis diu penitus ignotus.

21. Itaque de hoc recessu sicut de toto mari Hadriatico, apud Graecos multae erant pervulgatae fabulae etiam post Theopompi librum,[12] quem his de regionibus ille conscripserat. sex dierum navigationem ab hoc recessu ad montes Ceraunios esse Theopompus putabat, terra autem triginta dierum iter. in ejusdem libro etiam opinio illa saepius iterata legebatur, Istrum fluvium in mare Hadriaticum influere,[13] quam opinionem etiam Eratosthenes a libris suis non prohibuisse videtur, cum Polybius eum propter nonnullas miraculosas narrationes vulgo creditas vituperet. sed ipse Polybius[14] eandem habet opinionem, quam ex Theopompi libro Scymnus Chius[15] nobis tradit, mare Hadriaticum cum Pontico isthmum efficere adeo angustum, ut ex monte quodam utrumque mare conspici possit. quae opinio quam sit pervulgata apud Graecos, etiam liber docet, qui inscribitur περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων,[16] in quo mons ille Delphium vocatur, inter agrum Mentoricum et Istrianum situs, et quod Philippus in Italiam profecturus Haemum montem, quem Polybius Thraciae altissimum habet, adscendit, „quia vulgatae opinioni crediderat, Ponticum simul et

---

[1] id. 25. [2] 1, 10. 5. [3] 2, 16. 1. [4] Strab. p. 316. p. 123. [5] 38, 5. 8. [6] 2, 14. 4. 5, 110. 2. [7] 2, 14. 4 et 11. [8] 1, 2. 4. [9] 2, 16. 4. [10] 2, 14. 6. 3, 47. 4. [11] 2, 16. 7. 3, 47. 2. 34, 6. 1 et 10. [12] Strab. 317. [13] ib. [14] 24, 3. ex Strab. 313. [15] Scymni Chii orbis descr. v. 370. [16] 111.

Hadriaticum mare et Istrum amnem et Alpes conspici posse.“[1] „neque degressus inde quidquam vulgatae opinioni detraxit.“

Fontem Hadriatici maris atque matrem ejus incolae eum locum in ipso recessu situm nominabant, ubi Timavum Polybius commemorat (τὸ Τίμαυον) Diomedis sacrum, quod et portum habeat et lucum septemque fontes, qui uno excepto aquam salsam edant et statim lato et alto fluvio facto in mare influant.[2]

22. Atque ut reliquarum interni maris partium nomina enumerare omittam, de Thermaici sinus situ Polybius melius, quam Eratosthenes instructus erat, qui late eum occidentem versus in terram immissum esse putabat, ut latitudinem terrae inter Epidamnum et Thessaloniceam sitae nongentorum stadiorum esse diceret. Polybius autem, qui viae Egnatiae miliaribus uti potuit, plus esse duo milia stadiorum affirmat.[3]

23. De Hellesponto autem, Propontide, Bosporo Thracio, Ponto, Maeoti copiosius tractat et in continuo,[4] cum Graecos, quamquam clarissimae urbes ibi conditae sint, haec loca paene ignorare dicat, neque qualem utilitatem Graecis praebeant exportando et importando Ponti Graeciaeque merces satis scire, cujus inscitiae causam affert, quod haec loca aliquantum extra eas orbis terrarum partes sita sint, quae adiri atque visitari soleant.

Quibus maribus quae propria essent, doctissimi Graecorum rerumque naturalium peritissimi Aristoteles[5] Eratosthenes[6] Strato physicus jam saepe in disceptationem vocaverant et causam quaesiverant, qua ex Maeoti in Pontum aqua impelleretur et denuo ex Ponto in mare Aegaeum. neque vadosam Maeotis et Ponti naturam ignoraverant, neque dulciorem utriusque aquam, ut Polybius Maeotis Pontique naturam descripturus et saepe iteratas causas expositurus, recte dicere posset,[7] non fidem eas habere ex mercatorum narrationibus, sed ex scientiae naturalis principiis.

24. Ac Maeotis[8] quidem inter Europam et Asiam sita est, quas hic lacus separat et Tanais fluvius, qui ab ortu aestivo ad occasum hibernum fluens in Maeotim exit. Maeotis ambitum 8000 stadiorum esse Polybius auctor est, qui numerus a posterioris aevi mensura[9] 9000 stadiorum non valde discrepat, cum antiquiores scriptores ambitum ejus nimium haberent, qui ut Herodotus[10] Maeotim Ponto non multo esse minorem, vel ut Patrocles[11] πάρισον τῷ Πόντῳ, persuasum sibi haberent. qui lacus cum fluvi-

---

[1] Strab. 313. Liv. 40. 21 et 22. [2] Strab. p. 214—215. [3] Strab. 106. [4] 4, 38—46. [5] Aristot. probl. 23. 6. [6] Strab. p. 49. [7] 4, 40. [8] 4, 39. [9] Strab. p. 310. [10] Herod. 4, 86. 101. [11] Strab. p. 508.

orum fluctibus impleatur aqua redundans per ostium suum Bosporum Cimmerium in Pontum influit. hic Bosporus fere triginta stadia latus sexaginta longus et omnibus locis brevis, eandem praebet difficultatem nautis, qua ipsa Maeotis Graecis est nota. coeno enim per fluvios allato ita Maeotim brevibus obstructam esse dicit, ut plurimis in locis non majorem, quam septem aut quinque ulnarum altitudinem praebeat, quo fieri, ut majores naves, nisi locorum peritis eas gubernantibus, intrare non possint. et quod ex veterum scriptorum narrationibus mare olim fuerit cum Ponto confluens, lacum factum esse dulcis aquae, cum fluviorum alluvionibus mari depulso illorum aqua lacum impleat.

25. Pontum autem Eratosthenes omnium appellat brevissimum mare, in quod permulti et permagni fluvii coenum suum inducant, ut timendum sit ne denique Pontus impleatur. causam etiam, qua fiat, ut ex uno mari in alterum aqua influat, eam habet, ut uniuscujusque maris solum fluviorum exaggerationibus altius fieri putet, qua re effici, ut aqua eorum sicut fluviorum in depressiora loca se demittat. eadem jam ante Eratosthenem Strato putaverat, neque Polybius de hac sententia decedit. nam cum certis sint praescripta finibus maria et multi fluvii in ea influant, aquam in dies accrescentem aut litora superare necesse esse, nullo exitu exstante, aut si exstet, per hoc ostium continuo cursu effluere. quem cursum alteram quoque causam majorem reddere dicit, cum aqua alluvionibus repressa per ostium exeat. utraque autem causa nunquam intermittente etiam aquarum cursus continuus sit necesse esse. putat etiam fore, ut et Maeotis et ipse Pontus, natura horum locorum eadem semper manente, aliquando his fluviorum exaggerationibus impleantur, tempus enim infinitum esse, maria autem ubique certis finibus praescripta. et quae in Maeoti evenerint, eadem etiam in Ponto videri posse, sed in tanta ambitus magnitudine, quam 22000 stadiorum dicit, non omnium oculis eam rem subjectam esse. at si quis etiam paululum hoc observaverit, eum, quod jam tum fiat, perspectum habere. quam rem ut probet eodem utitur exemplo, qua etiam alii.[1] Istrum enim fluvium,[2] qui compluribus ostiis ex Europa in Pontum se effundat, limo suo dorsa in mari exstruere dicit, a nautis στῆθη nominata, quae unius diei iter, ad mille stadia a terra in mare se extendant et aqua tecta in summum naufragii periculum noctu navigantes adducant. addit etiam causae explicationem, qua hae alluviones non in ipsis fluviorum ostiis in solum maris demittantur,

---

[1] Strab. p. 50. [2] 4, 41. 1.

sed ita procul a terra in mare abripiantur. fluvios enim vehementer fluentes, cum in mare exeant, tanta vi praeditos esse dicit ut maris aquam repellant et fluctibus suis humum et quaecunque alia secum portent, in altum ejiciant. vi autem fluviorum per undas maris fracta, tum demum, quae fluvii in mare propulerint, ad solum demitti. quo fieri, ut mare prope ostia talium fluviorum magnam habeat altitudinem, aliorum autem tarde fluentium in ipsis ostiis coenum demittatur.

26. Atque ut veniamus ad Bosporum Thracium Ponti ostium [1] et ad Propontidem Hellespontumque, de situ eorum etiam Polybius errat, [2] ut Eratosthenes Hipparchus et ipse Ptolemaeus, cum a meridie septentriones versus maria se extendere putet, per quae navigantes a mari Aegaeo ad Pontum nautae noto utantur et retro etesiis. ipsum Ponti ostium, Bosporum Thracium, a Bosporo Cimmerio directo cursu 500 M. p. (4000 stadiorum) abesse dicit, [3] et longitudinem ejus 120 stadia esse, qualem plerique et etiam Herodotus habent. [4] cujus ostii initium ad Propontidem Byzantium est et Chalcedon, finis ad Pontum in Asiae litore Fanum quod dicitur (*τὸ ἱερόν*), ubi Jason Colchis rediens primum duodecim dis sacrificasse traditur. in Europaea ora alterum nominat fanum, e regione asiatici situm, quod Thraciae Sarapeum dicitur (*τὸ Σαραπεῖον τῆς Θρᾴκης*). Fanum autem illud asiaticae orae idem est, quod jam Herodotus [5] novit cujusque omnes mentionem fecerunt, qui hac de regione scripserunt. quod cum opportunissime in Bospori ostio situm castellum factum esset, omnes civitates adjacentis regionis in suam potestatem redigere studebant, et Byzantinis Prusias rex id cepit, qui mox pace cum illis facta id reddere coactus est. Strabonis autem tempore Chalcedoniorum erat fanum, [6] inter quod et Byzantinorum fanum in Europa e contrario situm, strictissimum Bospori locum esse hic tradit. Polybius autem, cum Sarapeum ab Asiae fano duodecim stadia abesse dicat, ab omnibus decedit, [7] quamquam in aliis mensuris et descriptionibus cum plerisque consentit. itaque jam Gyllii [8] erat sententia, non intellegere Polybium de latitudine Bospori, sed de distantia fani ab Europa. „fani enim arx sita fuit in supercilio promontorii, ubi etiam nunc castrum est, quod vulgus etiam Graecorum nominat *Ἱερόν*, id est fanum.“ ipse Polybius [9] artissimum Bospori locum inter fanum dicit et regionem contra Byzantium sitam, ad

---

[1] 4, 39. [2] 4, 44. 6. [3] Plin. 4, 77. [4] Herod. 4, 85. [5] ib. [6] Strab. p. 543. 563. 319. [7] Herod. 4, 85. quattuor stadia. [8] Petri Gyllii de Bosp. Thrac. lib. cf. geogr. min. II. p. 9. [9] 4, 43.

Hermaeum, quod est in promontorio ex Europaeo litore in Bosporum excurrenti, quod quinque stadia ab Asia distat. hoc loco Darius in Scythas profecturus trajecisse dicitur. Herodotus[1] eundem locum inter fanum ponit et Byzantium, neque accuratius ubi sit situs describit, Strabo[2] eandem habet latitudinem, alii quattuor stadia.[3] usque ad hoc promontorium simili fluctu a Ponto Bosporus aquam suam devolvit, propter similitudinem locorum utrumque litus cingentium. sed apud Hermaeum strictissimum illum Bospori locum cum flumen magna vi propter angustias compressum in promontorium incurrat, hinc velut plaga accepta repulsum avertit se atque in contrarium Asiae litus irruit, a quo refractum eodem impetu ad aliud Europae promontorium redit, quod circa Hestias appellatur (*περὶ τὰς Ἑστίας*). hoc promontorium ab Hestiis Plinii,[4] prope fanum illud Jovi Urio sacratum collocandis, segregandum est. inde denuo repercussus fluctuum incursus ad hodiernum Scutari defertur, in promontorio Asiae positum, quod a Polybio *Βοῦς*, ab aliis etiam Damalis nominatur, quo Jo, cum ex Europa in Asiam transiret, prima appulsa esse traditur.[5] ibidem etiam Chrysopolis est, quam urbem Athenienses Alcibiade duce tenentes primi navibus in Pontum navigantibus tributa imponere sunt conati.

27. A Bove illo fluctus ad ipsum Byzantium se vertunt, ubi minor quidem pars in cornu quod dicitur, Byzantinorum sinum influit, major autem Chalcedonem versus fertur, quae urbs quattuordecim stadia a Byzantio abest. vi autem fluctuum promontoriis Bospori jam fracta, cum litora latiora se extendant et aqua quasi a vinculis suis liberata tardiore cursu in diversas partes dilapsa neque angustiis neque promontoriis incitetur, ad ipsam urbem Chalcedonem flumen adire non potest. quo fit, ut Byzantium et Chalcedon videantur quidem eadem loci opportunitate frui, at non fruantur. nam cum ipsum Bospori flumen in Byzantinorum portum influat, omnes naves etiam invitae ad eum deferuntur, ad portum autem Chalcedoniorum navigare magnam habet difficultatem neque inde recta via ad Byzantinos pervenire possunt, sed asiaticum litus usque ad Bovem et Chrysopolim legentes, ipso fluctu ab hoc loco ad Byzantium necessario impelluntur. cujus urbis opportunitas quo melius cognoscatur Polybius addit, nautas, qui ex Hellesponto ad Pontum noto usi navigent et inde retro etesiis, ab angustiis, quae sint inter Abydum et Sestum, ad By-

---

[1] Herod. 4, 88. [2] Strab. 319. [3] Plin. 4, 24. 76. ap. Dionys. Byzant. promontorium *Πυρρίας κύων* frg. 35. [4] Plin. 5, 44. § 150. [5] 4, 43. 6.

zantium secundum litus Europaeum iter facere facili et directo cursu. quod non accidere Chalcedonem versus secundum Asiam navigantibus, cum Asiaticum litus magnos praebeat sinus, et Cyzicenorum ager late in mare procurrat. qua re commotos etiam Chalcedonem ex Hellesponto navigaturos secundum Europam usque ad Byzantium iter facere, et inde Chalcedonem Bospori fluxu usos.

28. Propontis,[1] in quam Pontus aquam suam emittit, angustias habet inter Abydum et Sestum,[2] et per Hellespontum[3] in Aegaeum mare influit. has angustias,[4] ut quanti sint momenti illae urbes demonstret, cum freto confert, quod est ad columnas Herculis. nam quemadmodum ex extero mari, quod a nonnullis Oceanus, ab aliis Atlanticum mare appelletur, in nostrum mare naves pervenire non possint, nisi illo freto superato, ita etiam ex nostro mari in Propontidem et Pontum naves pervenire non posse dicit, nisi per angustias inter Sestum et Abydum sitas. sed ut exterum mare multo majus sit, quam nostrum, ita etiam fretum ad columnas situm multo majus esse, quam fretum Hellesponti, quod duo tantum stadia sit latum, illud autem sexaginta. huc accedere, quod angustiae Hellesponti quasi pro portis sint, quibus homines utrumque litus incolentes utantur, cum modo ponte facto transeant ei, qui ad utramque orbis terrarum partem pedibus ire malint, modo alii navibus.

III.

De insulis.

1. Atque ut veniamus ad insulas horum marium, de quibus hoc loco dicendum nobis esse videtur, etiam Polybius eas neque Europae neque Asiae neque Africae adnumerat, quod quidem de Sicilia constat et de Sardinia, quas una cum Africa et Europa nominat.[5] neque eum hac in re de aliorum geographorum consuetudine aberrasse Scylacis[6] periplus docet, in quo Sicilia et Creta simili ratione ab Europa segregantur.

---

[1] 4, 39. 1. [2] 4, 44. 6. [3] ib. [4] 16, 29. [5] 1, 2. 6. [6] Scyl. § 13. § 47. geogr. min. I, p. 21, p. 41.

2. Ac de Cerne quidem Atlantici maris insula alio loco dicturi sumus, de Britannicis autem insulis (ἡ Βρεττανική,[1] Βρεττανικαὶ νῆσοι) et de Thule, quae senserit Polybius, nihil satis constat, nisi quod Pytheae narrationes, ab Eratosthene acceptas, de magnitudine insularum, de insula Thule et de mari prope eas sito, ut fabulosas rejicit, cum ne Scipio quidem Aemilianus, qui Massilienses Narbonenses Corbilonenses his de regionibus sit percontatus, de Britannia quidquam audire potuerit. Polybius autem professus erat,[2] se ut de aliis ignotis regionibus etiam de insulis Britannicis et de fodinis plumbi albi κατ' ἰδίαν dicturum esse. quae fodinae cum ante Pytheam, qui primus Graecos de his regionibus et de ipso insularum Britannicarum nomine certiores fecerat, in Cassiteridum insulis sitae esse putarentur, haec opinio retinenda erat, siquis Pytheae itinera fabulis adnumerabat, et etiam nomina ab illo tradita rejicienda erant.

Ejusdem generis ex Polybii sententia Panchaea insula erat, quam Euhemerus in rubro se mari invenisse gloriatus est.[3]

3. Prope columnas Herculis ab ostio freti viginti quinque M. p. (200 stadia)[4] Gades Polybius collocat (τὰ Γάδειρα), insulam cum urbe, cujus insulae longitudinem duodecim M. p. (96 stadia) esse dicit, latitudinem tria M. p. (24 stadia). similem longitudinem etiam Strabo tradit[5] et Artemidorus,[6] sed de latitudine discrepant, cum Strabo minimam esse unum stadium tradat, Artemidorus sedecim. abesse Gades ab Europa proxima parte minus pedes septingentos, reliqua plus septem M. p. (56 stadia) Polybius putat. ibidem nobilissimum Herculis templum erat, cujus de puteo geographi disputabant, cum aqua ejus tempore accessus et recessus maris contraria pateretur, ut in accessu intermitteret, in recessu rediret. cujus rei causam Polybius ex veterum physicorum de ventis opinione affert detractam. cum enim e specu recessuque interiore terrarum venti edantur,[7] accessus maris exitum eorum obstruit, quo fit, ut ad pristina loca redeuntes fontis aquam reprimant. recessus autem maris viam ventis aperit, quibus emissis fons quoque redire potest.[8] hanc Polybii opinionem Artemidorus et Posidonius impugnabant, alius aliam causam afferens.

De interni autem maris insulis Polybius cum alias copiosius describit, tum maxime Siciliam, quas descriptiones hoc loco praetermitto.

---

[1] Strab. 104. [2] 3, 57. 3. [3] Strab. 104. cf. Diod. 5, 42. [4] Plin. 4, 119. [5] Strab. p. 169. [6] Artemidorus ap. Agathem. 20. [7] Senecae nat. quaest. 5, 14. [8] Strab. p. 172.

De tribus orbis terrarum partibus.

IV.

Europa.

1. Sequitur, ut de ipsis tribus orbis terrarum partibus sit nobis dicendum, e quibus Europa quidem a columnis Herculis ad Tanaim fluvium patet et septentrionalem nostrae habitatae terrae partem implet.[1] longitudinem ejus a columnis ad os Maeotis directo cursu definire conatus est ad stadiorum viginti septem milia quadringenta nonaginta sex,[2] etiam hac in mensura de aliorum geographorum metiendi ratione decedens, qui aut ex paraplo mensuras terrarum agebant, aut ex parallelis aequinoctiali et ex meridianis. quemadmodum Polybius hunc numerum invenerit non constat, fortasse eadem ratione, qua spatium invenit, quod est a columnis ad Siciliam, ex trianguli cujusdam computatione, cujus unum latus linea erat a columnis ad os Maeotis ducta. etiam quali ratione latitudinem Europae computaverit, quam novem milia ducenta stadiorum esse dixit, non constat, et ne id quidem scimus, unde exiens Polybius mensuram egerit, neque quem finem ejus habuerit.

2. Totius autem Europae, sicut etiam aliarum orbis terrarum partium singulae terrae apud veteres communi carebant nomine, sed de populis unamquamque incolentibus nomina inveniebant, ut essent Iberia Gallia Liguria Etruria Iberorum Gallorum Ligurum Etruscorum terrae. Eratosthenes[3] primus incolarum et civitatum nulla ratione habita Europae partes totas descripsit et tres dixit excurrere paeninsulas ab Europa in mare, quarum primam esse, quae ad columnas Herculis finem habeat, Ligustica ab eo appellata, et in qua Iberia sita sit, alteram, quae ad fretum Siculum, tertiam, quae ad Maleas procurrat, et quae omnes populos inter Hadriaticum mare et Pontum Tanaimque habitantes complectatur. Polybius autem hanc nimiam tertiam in plures divisit, quarum unam Maleae et Sunium finiant, altera in Chersonesum Thracicam excurrat, tertia ad Bosporum Cimmerium et ad ostium Maeotis finem habeat.

---

[1] 3, 37. 2. [2] Plin. 6, 206. [3] Strab. 108.

3. Reliquae autem Europae ab his paeninsulis septentriones versus sitae maxima pars incognita est et etiam arctico subjecta inter Narbonem et Tanaim, atque si quis aliud his de regionibus narrare velit vel scribere, eum nihil scire fabulasque fingere Polybius judicat.[1]

a. De prima paeninsula, quae ad columnas Herculis pertinet.

1. Ac primum quidem de illa paeninsula dicamus, quae ad columnas Herculis pertinet et cujus oram ab oriente fere ad occasum se extendere Polybius cum ceteris antiquitatis geographis putabat, quibus hujus terrae ora meridionalis ea fuit, quae nobis est orientalis. vidit autem Polybius hanc terram, ut jam supra commemoravimus, qua de causa magnam libri tricesimi quarti partem descriptioni ejus dedisse videtur, quod quam diligenter et copiose fecerit, ex fragmentis videmus, quae ex hoc libro nobis servata sunt.

2. Hanc autem paeninsulam ab una parte montes Pyrenaei terminant, qui continui ab interno mari ad exterum a meridie ad septentriones procurrunt, ab aliis autem partibus mare internum et exterum. communi nomine tota terra non nominatur, sed illam ejus partem, quae sit sita ad mare exterum et magnum nuper demum cognitam esse dicit et totam a barbaris et celeberrimis nationibus habitatam, de quibus separato se loco dicturum esse profitetur. eam autem partem, quam mare internum a Pyrenaeis usque ad columnas alluat, Iberiam nominari.[2] non probabat igitur Eratosthenis hujus paeninsulae appellationem Ligusticam totam nominantis,[3] cum de Liguribus et ubi essent sedes eorum illo tempore, melius quam Eratosthenes edoctus esset.

3. De Ibericae orae longitudine ex Polybio haec nobis traduntur:[4]

a columnis ad Pyrenaeorum montium finem ad mare internum (*ἡ ῥαχία, ὅ πέρας ἐστὶ πρὸς τῇ καθ' ἡμᾶς θαλλάττῃ τῶν Πυρηναίων ὀρῶν*) fere octo milia stadiorum numerat:

ad Carthaginem novam	3000	7200
ad Iberum fluvium	2600	
ad Emporium	1600	

numerantur autem a Carthagine nova ad Insubres et ad campos, qui sunt circa Padum fere novem milia stadiorum, quorum quidem

[1] 3, 38. 2. [2] 3, 37. [3] Strab. 92. [4] 3, 39.

a campis illis ad Emporium, ut nostri quidem libri tradunt, 4200 sunt, a quo loco ad Carthaginem novam 4200, ut stadiorum octo milia quadringenta efficiantur. etiam in eo numero, qui a Carthagine nova ad Emporium traditus est, fere octingenta stadia deesse videmus. ad illa igitur stadiorum septem milia ducenta adjicienda esse fere sexcenta stadia ab Emporio ad Pyrenaeorum finem docti viri putant, ut numerus octo milium a columnis ad Pyrenaeos, et novem milium a Carthagine nova ad Alpium descensum fere compleatur. etiam Strabo[1] paulo minus octo milia a Narbone ad columnas eum numerasse dicit, qualem mensuram etiam a Pyrenaeis ad easdem tradit, unde apparet, Polybium non procul a Narbone Pyrenaeorum finem posuisse. Iberiae igitur orae longitudinem nimiam habet et ab Eratosthenis mensura septem milia a Massilia, sex a Pyrenaeis ad columnas dicentis[2] tantopere decedit. quantam autem latitudinem totius paeninsulae habuerit, a Pyrenaeis ad mare exterum, ex longitudine Tagi fluvii videre possumus, quem a fonte ad ostium octo milia stadiorum longum esse putat.[3]

4. De montibus hujus paeninsulae nulli commemorantur, nisi Pyrenaei (ἡ Πυρήνη,[4] τὰ Πυρηναῖα ὄρη[5]) qui Celtas etiam in ipsis montibus habitantes ab Iberis separant,[6] et montes prope Saguntum ad mare desinentes, qui Iberos a Celtiberis sejungunt.[7]

Ex fluviis autem nominantur praeter ipsum Iberum Baetis et Anas,[8] qui ex Celtiberia fluunt fere nongenta stadia a se distantes. Tagus[9] in Lusitania, secundum quem ab Hasdrubale ad Pyrenaeos iter esse factum dicit. de longitudine ejus jam supra diximus.

5. Hanc paeninsulam Iberi incolunt et his vicini in mediterraneis Celtiberi, quibus nominibus complures gentes comprehenduntur, praeter hos alii populi, qui nullo communi nomine utuntur, aut de quibus non constat, utrum Iberis an Celtiberis eos Polybius adnumeraverit, quales sunt Turdetani, Turduli, Carpetani vel Carpesii, Vaccaei, Lusitani, Celtici, Conii. Eratosthenem autem, qui antiquiorum omnium opinionem secutus totum Europae tractum occidentalem Celtas usque ad Gades habitare dixerat, propter hanc opinionem Polybius vituperat.[10]

6. Atque Iberi quidem Iberiam incolunt et totam tenent interni maris oram a Pyrenaeis ad columnas. de opibus eorum etiam Polybius dixerat et reguli cujusdam, qui Phaeacum luxuriam

---

[1] Strab. 106. [2] ib. [3] 34, 7. 5. [4] 3, 35. 2. 10, 39. 8. [5] 3, 35. 3. [6] 10, 39. 8. [7] 3, 17. 2. [8] 34, 9. 12. [9] 3, 14. 5. [10] Strab. 106.

sit imitatus, domum splendide exstructam et argenteis aureisque crateribus ornatam descripserat, ex quo etiam apparet, non vinum Iberos potasse, sed cerevisiam [1] (οἶνος κρίθινος). eisdem mos fuit a patribus traditus ut in proelia profecturi tunicis linteis purpura distinctis se ornarent. [2] scutis autem similibus utebantur, ac Celtae, sed gladiis aliis (μάχαιρα ἰβηρική), de quibus eadem narrat, quae de Celtiberorum gladiis. mucronem enim habebat gladius et aciem ex utraque parte, quo gladio hispano etiam Romani in bello punico secundo sunt usi, Celtiberorum autem ferrum gladiorumque fabrica multo eis Romanorum praestabat neque Romani illa imitari poterant. [3]

Iberis inter Iberum fluvium et Pyrenaeos Ilurgetes adnumerantur, [4] vel Ilergetes. [5] urbs autem Ἰλούργεια, quam Steph. Byz. ex XI Polybii libro citat, non in hac regione ponenda est, sed cum Livii Illiturgi [6] et Appiani Ἰλυργίᾳ a Scipione vastata, conferenda. praeter Ilurgetes hoc in tractu nominantur: Bargusii Aerenosii Andosini. [7] in eadem Iberiae regione urbes ad mare internum sitae erant Tarraco, [8] Emporium, [9] in mediterraneis Cissa. [10]

7. Trans Iberum hae sunt urbes: Saguntum (Ζάκανθα, ἡ τῶν Ζακανθαίων πόλις), [11] urbs in fine eorum montium condita, qui Iberiam a Celtiberia separant. ipsa a mari fere septem stadia aberat et fertilissimo fruebatur agro, qui omnibus Iberiae praestabat. [12] quadraginta stadia ab urbe Veneris templum erat ad mare situm. [13]

In media Iberiae ora urbs erat a Carthaginiensibus condita, quae a Polybio Καινὴ πόλις plurimis in locis vocatur, [14] sed etiam punico nomine Polybius utitur Carthaginem eam appellans, [15] et novam Carthaginem eam a nonnullis nominatam esse dicit. [16] hanc urbem Carthaginienses occupaverant, cum tota fere Iberiae ora nullum alium majorem et classibus aptum portum praeberet, [17] et eam illi ad res et in Iberia et in Africa gerendas opportunissime sitam [18] ita instruxerant, ut decus et quasi arx regia Iberiae haberetur. [19] ex ea terra marique bellantes auxilium semper petere poterant, cum magna ibi multitudo cujusvis generis opificum extaret, [20] quam loci opportunitatem ut demonstret Polybius

---

[1] Athen. 1, p. 16 c. [2] 3, 114. 3. [3] frg. 96. [4] 3, 35. 2. [5] 10, 18. 7. [6] 23, 49. [7] 3, 35. 3. [8] 3, 76. 12. [9] 3, 39. 7. [10] 3, 76. [11] 3. 6. 1. [12] 3, 17. 2. [13] 3, 97. 6. [14] 3, 13. 1. [15]—[16] 2, 13. 10. 6, 8. 11, 31. 16, 1. [17] 10, 8. 2. [18] 2, 13. 2. [19] 3, 15. 3. [20] 10, 8. 5.

copiosius urbis situm describit, quod eo melius poterat, cum ipse urbem vidisset neque audita referret.[1]

8. Urbs[2] in sinu erat sita, qui initio fere decem stadia latus, ad brumalem occasum spectabat et cujus intimus recessus viginti stadia ab ostio aberat. sinus autem portus formam praebebat, cum insula in ipso ostio sita esset, quae utrinque angustum modo aditum admitteret. itaque hac insula maris undarum vi fracta placidam sinus aquam habebat, nisi ipso Africo flante undasque in eo movente. contra omnes alios ventos terra undique projecta sinum tutum reddebat neque undis expositam. in recessu sinus mons excurrebat paeninsulae forma, in quo urbs erat condita. mare eam ab orientali et meridionali parte circumfluebat, occidentalem autem et septentrionalem stagnum cingebat, plerisque in locis vadosum et aditum ad urbem concedens,[3] etiam maris accessui et recessui expositum.[4] ea enim terrae pars, qua urbs cum continenti conjungebatur non plus erat duo stadia lata et fossa interscissa, quae stagnum cum mari confluens reddebat. quo factum est, ut urbs a terra plane esset sejuncta et solo ponte fossae imposito aditus ad illam pateret. ipsa urbs, antequam a Romanis occupata esset, non quadraginta stadiorum habebat circuitum, ut nonnulli perhibuerant, sed, ut de visu Polybius affirmat,[5] non plus quam viginti stadiorum. erat autem in valle exstructa, quam utrinque tumuli cingebant, meridionali excepto latere, quo a mari ad urbem aditus in plano fiebat. quorum tumulorum duo erant montibus similes et asperi, reliqui tres multo quidem depressiores, sed praerupti et difficilem praebentes aditum. maximus eorum orientali parti objectus in mare procurrebat et templum Asclepii in eo erat aedificatum. huic oppositus alter erat simili situ in occidentali parte, in quo arx regia magnifice aedificata erat, quam putabant ab Hasdrubale regnum petituro esse paratam. reliqui tres humiliores septentrionalem urbis partem cingebant, de quibus is, qui orientem versus situs erat, Hephaesti tumulus nominabatur, medius Aletae, tertius Saturni.

9. Prope hanc urbem, non plus viginti stadia ab ea, metalla erant argenti, quae Polybius maximis adnumerabat, cum quadringentorum stadiorum orbem complecterentur. quibus in exercendis quadraginta milia operariorum erant occupata, quorum opera populo Romano in diem viginti quinque milia drachmum redibant. descripsit etiam Polybius, quali ratione purum ibi argentum efficeretur.[6]

---

[1] 10, 11. 4. [2] 10, 10. [3] 10, 8. 7. [4] 10, 14. 8. [5] 10, 11. 4. [6] Strab. 147.

10. De Iberorum populis, qui ab Ibero ad columnas habitabant, solos Edetanos [1] nominat, Livii Sedetanos. [2] sed hic etiam Θερσῖται, Μαστιανοί, Ὀρῆτες, Ὀλκάδες [3] ponendi sunt, quos Hannibal in Africam transportavit, ut Iberorum fidem sibi retineret. Polybius autem, qui nomina eorum in aeneo illo monumento legit, quod Lacinii ab Hannibale constitutum erat, tum ea nomina cum antiquioribus nominibus conferre non potuit, quo factum est, ut Tarseium Mastia [4] ad Africae Pulchrum promontorium transponeret, quae opinio documento est, quanta sit facta hujus terrae populorumque ejus mutatio confecto bello Hannibalico victisque Iberis Romanorum armis. nam Thersitas cum Tartesso (Tarseio) Mastianos cum Mastia urbe conferendos esse recte viri docti censent, eorumque locum postea Turdetanos Turdulosque et Bastetanos Bastulosque obtinuisse etiam Oretes eosdem esse ac Oretanos veri simile est, Olcadum [5] autem nomen post bellum Hannibalicum jam non occurrit. gravissima eorum urbs Althaea [6] fuit, ab Hannibale expugnata, quam Livius Cartalam nominat. [7]

11. Turdetanorum, quos num Iberis Polybius adnumeraverit non constat, mores agrique fertilitatem laudat et Turdulos ab eis distinguit. [8] Turdulos enim Turdetanis vicinos esse septentriones versus dicit. Bastetanorum nomen Bastulorumque apud eum non legitur. in interioribus paeninsulae partibus Carpetani nominantur [9] vel Carpesii [10] validissima fere illarum regionum natio, Vaccaei, [11] quorum in finibus urbes erant Helmantica et Arbucala, magna et celeberrima urbs. [12] Segesama autem et Intercatia in eorum aut Celtiberorum terra ponendae sunt. [13]

12. In Lusitania (Λυσιτανή [14]), ubi Tagus fluvius in mare exterum influit, Lusitani habitant, quorum urbs quaedam Nercobrica est. [15] agrum eorum summis laudibus Polybius effert, [16] cum propter caelum temperatum et pecus et homines multos edant partus, neque fruges unquam spem fallant. frugum igitur et animalium miram commemorat vilitatem in Lusitania, qualem etiam in Gallia cisalpina invenit, et simul, quanti singulae res ibi emantur, enarrat. etiam quae e mari extero Lusitani capiant, copia utilitate pulchritudine omnibus multo praestare, quae internum mare ferat. quod ut demonstret in Lusitaniae descriptione de submarinis exteri maris arboribus locutus est, quales etiam Eratosthenes [17] in mari Rubro commemorat, et Strabo [18] in extero,

---

[1] 24, 20. [2] 10, 34. [3] 3, 33. [4] 3, 24 [5] 3, 13. 5. [6] ib. [7] 21, 5. [8] Strab. 139. [9] 10, 7. 5. [10] 3, 14. 2. [11] 3, 5. 1. cet. [12] 3, 14. 1. [13] Strab. 162. [14] 10, 7. 5. [15] 10, 35. 2. [16] 34, 8. 4. ex Athen. p. 330. [17] Strab. 766. [18] id. 145.

quae arbores tantam glandium multitudinem ferant, ut thynnos pingues reddant, et glandes usque ad Italiam maris fluctibus deferantur, nisi etiam in interno mari nascantur.

13. Ubi sint Conii ponendi ex Polybii quidem libris non constat. (*ἐντὸς Ἡρακλείων στηλῶν ἐν τοῖς Κονίοις προσαγορευομένοις.*[1] Schweighaeuserus eos extra columnas Herculeas collocandos esse censet et cum eo populo confert, quem alii, ut Herodotus[2] Cynesios, Appianus[3] Cuneos, et quorum terram Romani[4] antiquum nomen ad verbum latinum referentes Cuneum appellabant. itaque vir doctus pro *ἐντὸς ἐκτὸς* legendum esse censet.

Turdetanis Celticos[5] propinquos esse dicit, in uberrima regione habitantes, quorum rei publicae et privatae laudat prosperitatem.

14. Restat ut de Celtiberis[6] dicamus qui in Celtiberia[7] habitabant, in terra eis montibus ab Iberia seclusa, qui ad Saguntum et ad mare internum pertinent. Celtiberis adnumerantur *Βελλοί, Τίττοι, Ἀρανάκαι.*[8] trecentas urbes in Celtiberia a Tiberio Graccho solo esse aequatas Polybius narraverat,[9] propter hanc narrationem a Posidonio postea elusus, quod, ut in triumphis Romani, castella urbes nominasset. hic populus omnium erat hujus paeninsulae fortissimus et qui diutissime Romanorum armis resisteret. (*πύρινος πόλεμος.*[10]) equites eorum id habebant proprium, ut cum pedites ab hostibus pressos videbant, ex equis descendentes hos relinquerent ordinem servare edoctos, paxillis ex frenis nexis et in humo fixis, dum redeuntes equites paxillos ex humo extraherent.[11] gladii eorum Ibericis similes erant, de quibus jam supra diximus.

15. Urbes nominat, neque quibus populis adnumerandae sint dicit: Ilipam ad Baetim,[12] Cordubam,[13] Castalonem,[14] non procul a Baeculis,[15] qua in regione etiam argenti metalla sunt.[16] de Segesama Intercatia Ilurgia jam supra diximus, Stephani Byzantini errorem *Μοτιηνὴν χωρίον Ἰβηρίας* ex Polybii libro tertio citantis Meinekius vidit.

b. De Gallia transalpina et de Gallis.

1. De terra primae paeninsulae vicina ante Caesaris expeditionem in Galliam factam, minima erat Graecis Romanisque

---

[1] 10, 7. 5. [2] Herod. 2, 31. 4, 49. [3] Appian. Ib. 57, p. 601. 68, p. 613. [4] Strab. 137 sequ. [5] id. 151. [6] 3, 5. 1. [7] 3, 17. 2. 35, 9. 12. [8] 35, 2. [9] 25, 1. Strab. p. 163. [10] 35, 1. [11] frg. 95. [12] 9, 20. [13] 35, 2. 2. [14] 10, 38. 7. 11, 20. 5. [15] 10, 38. 7. 39. 11, 20. 5. [16] 10, 38. 7.

notitia, ut Cicero, quamquam in majus augens, dicere de ea possit:[1] „quas regiones, quasque gentes nullae antea nobis litterae, nulla vox, nulla fama notas fecerat, eas noster imperator nosterque exercitus et populi Romani arma peragrarunt. semitam tantum Galliae tenebamus antea.“ sicut de prima paeninsula, ita etiam hac de terra nullum erat commune nomen apud priores notum, et Timaeus primus Galatiam ex incolis eam nominasse traditur. nam ipsorum Gallorum sedes antiquioribus temporibus ad interni maris oram non pertinebant, neque ante Hannibalis expeditionem Galli ibi nominantur, sed hujus tractus unam partem Iberi antea tenebant, alteram Ligures,[2] quo factum est, ut Iberiae initium etiam ad Rhodanum fluvium esse nobis tradatur,[3] et Avienus[4] vetustissimis auctoribus usus Oranum fluvium, aliis non notum, nominet, quem propterea recentiores Rhodanum legendum esse putant, de quo dicit: „hujus alveo Ibera tellus atque Ligyes asperi intersecantur.“ erant etiam, qui Ligures usque ad ipsos Pyrenaeos montes habitare dicerent, ad quam sententiam quamquam non sunt referenda cum Letronnio[5] Polybii verba,[6] Carthaginienses ante bellum Hannibalicum mercenariis usos esse praeter Iberos et Celtas etiam Liguribus, tamen hac est factum, ut Eratosthenes ipsam primam paeninsulam Ligusticam vocaret, non quod a Liguribus totam habitari putaret, sed nomine clarissimi apud Graecos populi illarum regionum totam complectens terram, quali ratione etiam a Polybio Italiae nomen ad totam illam paeninsulam extendebatur.

2. Polybius[7] autem Gallos ad oram habitare dicit parvum illum tractum, qui est a Pyrenaeis ad Narbonem, quae urbs paulum tantum ex ejus opinione a Massilia abest. haec autem jam in Ligurum est agro.[8]

Tota terra, quam Galli incolunt, *Γαλατία* dicitur, semel *Κελτία*[9] in foedere, quod Hannibal cum Philippo fecit. Galatiae igitur nomine omnes terrae comprehenduntur, quae a Gallis occupatae sunt, Gallia transalpina, cisalpina, quae etiam *Κελτική* vocatur, et asiatica, totum *Γαλατικὸν φῦλον Γαλάται* nominantur et *Κελτοί*, quorum qui Galliam transalpinam incolant Transalpinos nominatos esse dicit popularibusque suis adjicit, non generis dissimilitudinem hoc nomine declarari, sed sedes eorum trans Alpes esse.[10]

---

[1] Cic. de prov. cons. 13, 33. [2] Scyl. 3. Iberes et Ligures mixti. [3] Strab. 166. *Ἰβηρίαν καλεῖσθαι πᾶσαν τὴν ἔξω τοῦ Ῥοδανοῦ.* [4] Avienus, v. 608. [5] poëm. géogr. 185. [6] 1, 17. 4. [7] 3, 37. 9. Athen. 332. [8] 33, 7. cf. 10. [9] 7, 9. [10] 2, 15. 8.

3. Nullus antiquitatis populus per tot erat diffusus terras. nam ubique a Polybio Galli nominantur. ex patria transalpina ad campos venerant, qui patent circa Padum,[1] in Graeciam irruperant[2] et prope Macedones[3] et Byzantinos[4] habitabant, in Asia autem omnes populos armis sibi vectigales fecerant.

Mercenarios eos in exercitibus citat Carthaginiensium, Romanorum, Epirotarum, Macedonum, Achaeorum, Pergamenorum, Syrorum, Aegyptiorum, denique omnibus in terris, ubi bella gerebantur, nam nulla alia re occupati erant, nisi bello et agri cultura.[5] scuto[6] utebantur iberico simili, sed quod virum tegere non posset, gladii[7] autem eorum ibericis dispares erant, nam magni erant et sine mucronibus, ad plagam tantum infligendam apti spatio interjecto. jam post primam plagam obtundebantur et incurvabantur, ut pede ad rectum revocandi essent.

Ad bella gerenda cum mulieribus et liberis proficiscebantur, qui plaustris eos subsequebantur.[8] in exercitu eorum innumerabilis erat multitudo tubicinum et cornicinum, quorum ad concentum ante pugnam cum etiam totius exercitus cantus accederet, tota regio personare videbatur, ut hostibus terror incideret.[9] temeritate autem sua atque audacia[10] hostibus terrorem quidem Galli injiciebant, sed notum quoque erat, primum tantum impetum periculosissimum esse, quoad res in dubio esset,[11] alioquin molles eos esse laboresque fugere.[12] omnibus in rebus animo magis et ira,[13] quam ratione ducibus utebantur, quare, ut omnes barbari, etiam Galli licentia sua infames erant, cum nullam certam fidem praestare, sed ad seditiones prompti esse putarentur,[14] quae fama etiam augebatur, cum immodice epulis et compotationibus indulgerent.[15]

Regum imperio erant subjecti, sed potentissimi atque maxime metuendi ei erant apud Gallos, qui comitum clientiumque plurimos secum haberent.[16]

De vestitu Gallorum braccae nominantur (*ἀναξυρίδες*[17]) et levia saga,[18] ornamento autem aurei torques erant,[19] qui maniacae vocabantur,[20] et armillae.

Cum bella non gerebantur agros colebant et in vicis habitabant immunitis, omnibusque carebant rebus, quae scientia aut

---

[1] 3, 48. 6. [2] 1, 6. 5. [3] 18, 37. 9. [4] 4, 38. 6. 45, 9. [5] 2, 17. 10. [6] 3, 114. 2. 2, 30. 3. [7] 2, 33. 6. 30. 8. [8] 5, 77. 2. 78. 6. [9] 2, 29. 5. [10] 2, 35. 2. [11] 5, 78. 1. 2, 32. 2. 35. 6. [12] 3, 79. 4. 5, 78. 1. [13] 2, 35. 3. [14] 2, 7. 5. 32, 8. 3, 70. 4. 18, 37. 9. [15] 2, 19. 4. [16]—[17] 2, 17. 12. [18] 2, 28. 7. [19] 2, 29. 8. [20] 2, 31. 5.

arte aliqua, quam nullam habebant, parantur ad victum cultumque vitae necessariae. sed cubile eis erat humi in stramine et cibus caro. divitiae autem pecus erat et aurum, quod hac sola omnes in terras agi ferrique possent, quo vellent.[1]

4. Ipsius Galliae transalpinae Polybio exigua tantum pars nota erat, ut inter Tanaim et Narbonem totam terram sub ipsis arctis esse positam putaret. sed etiam quas regiones, urbes, quos populos fluvios montes noverit et nominaverit, non scimus. in libro tricesimo quarto, ut Iberiam, etiam Galliam separatim descripsit, sed pauca nobis hac de terra traduntur.

Ligerim[2] nominabat, quod flumen in Oceanum influit. ad Ligerim urbs erat sita Corbilo, quae praeter Massiliam et Narbonem gravissimum Galliae emporium erat. cives harum trium urbium Scipio Aemilianus de Britannia percontatus est, neque quidquam certi cognoscere potuit. Polybius fortasse solam Galliae oram ipse vidit et Rhodani vallem usque ad Insulam, inde autem viam, quae est super Alpem Graiam ad Insubres.

5. Oram Galliae justo minorem habet, cum a Pyrenaeis ad eum locum, quo Hannibal Rhodanum transiit, et qui quattuor itinera a mari aberat, mille sexcenta stadia esse dicat, a Massilia[3] ad columnas plus novem milia, a Narbone et a Pyrenaeis ad easdem fere octo milia stadiorum.[4]

Ipse Narbo in recessu sinus est sita, quem Italiae et Iberiae litora faciunt. fluvius[5] ad urbem est ejusdem nominis, qui ab aliis Atax vocatur. inter hunc et Pyrenaeos montes campi patent, in quibus Illeberim et Ruscinonem (Ῥόσκυνος) fluvios et urbes nominat, quas Celtae incolant. quibus campis tenuem tantum humum inductam esse dicit, quam multa agrostis tegat. sub ea arenam esse duas vel tres ulnas altam, et sub arena aquam, quae ex fluviis super ripas effusis submissa sit. cum aqua etiam pisces sub terram venire, qui agrostis radices pastum sibi quaerant, quo fieri, ut campi subterraneorum piscium pleni sint, qui effodiendo capiantur. hi pisces fossiles (ἰχθῦς ὀρυκτοί) eidem sunt, quorum alii quoque ad hanc oram mentionem faciunt.[6]

6. Rhodani solam inferiorem partem Polybius novit, de reliquis fabulas narrat, cum nemo ad id tempus terras illas explorasset et ipsarum Alpium nomen Hannibalis demum expeditione Graecis notum factum esset. fontes igitur Rhodani super intimum esse maris Hadriatici recessum putat,[7] occasum versus fluentes,

---

[1] 2, 17. 9. [2] Strab. 190 [3] id. 106. [4] id. 105. [5] Athen. 332 a. [6] Strab. 182. de mir. ausc. 94. [7] 3, 47. 2.

in ea Alpium parte, quae ad septentriones spectet. deinde in occasum hibernum fluvius se vertit et in mare Sardoum influit. de ostiis ejus aliis temporibus alia narrabantur et Timaeus quinque esse dixerat, Polybius autem hunc vituperans duo esse tradit,[1] quorum unum orientem versus situm, ad quod primum ex Italia navigantes veniebant, Massilioticum[2] nominabatur. Rhodano ad mercaturam cum interioribus Galliae partibus faciendam accolae utebantur, ut Hannibal multos lembos in fluvio inveniret et alia monoxyla navigia.[3]

7. Etiam Alpes ut Rhodanus ab occasu hiberno ad orientem aestivum porrigantur necesse est, quarum initium prope Massiliam esse putat super mare Sardoum,[4] quo loco cum Apenninis conjungantur. inde eas ad hadriatici maris recessum pertinere, et Rhodani vallem eis Alpium montibus a meridie includi, qui earum extremi sint septentriones versus.[5] hic Alpium tractus Galliam et Italiam sejungit, Rhodanique vallem a campis circa Padum sitis,[6] et quasi arx est totius Italiae.[7] his de montibus populares suos certiores facere studebat, fabulasque illas apud omnes de eis pervulgatas opprimere, cum plerisque Hannibalis expeditio quasi miraculum esse videretur et solo deorum auxilio perfecta.[8] Alpes enim incultas esse credebant et sine hominibus, qui in his montibus glacie tectis abscisisque atque asperis habitare non possent. Alpes autem tanta altitudine esse ipse Polybius putat,[9] ut altissimos dicat montes illius paeninsulae, in qua Graecia sit, cum eis comparari non posse, cum expediti homines hos fere uno die superare et circumire possint, ad Alpes autem non intra quinque dies adscendatur. quas non inexsuperabiles esse ex historia nos posse doceri, cum jam saepe a Rhodano in Italiam Galli immigraverint.[10] quattuor autem juga esse dicit,[11] quae transitum admittant, quorum primum et mari Etrusco proximum per Ligures ducere, alterum per Taurinos, quod Strabo aliique putabant Hannibalem superasse, tertium per Salassos, quartum per Raetos, omnia autem praerupta esse. etiam vastas Alpes non esse affirmat, nam sola Alpium cacumina et summos vertices penitus arboribus carere, cum nives per totum annum et aestate et hieme ibi maneant, medias autem partes silvas ferre et habitabiles esse,[12] multasque hominum gentes eas incolere, quarum prope mare Sardoum Ligures nominat, deinceps Gallos et

---

[1] Strab. 183. [2] 3, 41. 5. [3] 3, 42. 2. [4] 2, 14. 6. [5] 3, 47. 3. [6] ib. [7] 3. 59. [8] 3, 47. 6. [9] Strab. 208. [10] 3, 48. 6. [11] Strab. 208. [12] 3, 59. 9. 2, 18. 4. 3, 48. 7.

Raetos.[1] animal quoque Alpibus proprium primus descripsit, alcem.[2]

8. Quae tali modo Polybius multo melius, quam alii narrat, suis ipse explorationibus cognoverat, cum ipse Alpes vidisset,[3] et ad solum Polybium referendum est, quod de Hannibalis expeditione accuratius nobis traditum est. nam tum demum rectius aliquid de ea cognitum est, cum neglecta Livii confusa illa narratione solum Polybium ducem rerum scriptores sequebantur. quorum primus Mellevillius fuit, qui ipse rei militaris peritus, Polybio duce vias illas exploravit et invenit, quibus Hannibal usus est, qua in exploratione postea multi locorum illorum peritissimi illum secuti sunt, qui singula corrigentes totum probaverunt.

Non meum esse videtur hoc loco illorum sententias multis verbis repetere, sed quae ab ipso Polybio traduntur expositurus sum, et quae hodierna loca fere sine dubio plurimi recentiorum cum eis contulerunt, quae Polybius describit.

9. Ac Rhodanum quidem Hannibal eo loco transiit, qui quattuor dierum iter a mari abest, ducenta stadia infra illum locum, quo fluvius in duas partes divisus, insulam quandam facit.[4] transitu facto exercitus adverso Rhodano orientem versus iter fecit, quasi in mediterraneas Europae partes profecturus.[5] quod orientem versus exercitum iter fecisse dicit, Polybii opinione efficitur, quam illum de Rhodani et Alpium situ habuisse supra demonstravimus. quartis castris, octavis igitur a mari, Hannibalem ad Insulam venisse tradit,[6] quae sit terra incolarum multitudine frugumque copia praestans, et quae nomen ex situ traxerit, cum Rhodanus et Isara fluvii utrumque latus amplexi in unum confluant. magnitudinem ejus et figuram cum Delta Aegypti comparat, a quo hoc differat, quod hujus latera mari et fluviis alluantur, insulam autem summi montes cingant. nomen populi, ad quem primum Hannibal in Insulam intrans venit, Polybius non tradit, sed ab Allobrogibus eum distinguit, per quorum agros Hannibalem princeps illius usque ad adscensum in Alpes comitatus sit.

10. Per decem dies[7] a transitu Rhodani Hannibal adverso flumine iter fecerat in plano, fere octingenta stadia, sex igitur dies per insulam et ultima itinera per Allobrogum agros, cum primum Alpes adscendit per angustias ab Allobrogibus occupatas. (Mont du Chat). duodecimo die Carthaginienses in urbe expugnata

---

[1] Strab. 208. [2] id 207. [3] 3, 48. 12. [4] 3, 42. 7. [5] 3, 47. 1. Liv. 21. 31. [6] 3, 49. 5. [7] 3, 50. 1.

manserunt,[1] per diem tertium decimum ad sextum decimum iter continuatum est, quo die alius eos excepit populus dolosam simulans amicitiam. septimum decimum diem ad duodevicesimum hic populus eos comitatus est usque ad praecipitem quandam voraginem, ubi impetus in Carthaginienses factus est. Hannibal ad saxum quoddam album pernoctavit et die undevicesimo in Alpium jugum pervenit,[2] nono die postquam Alpes intravit. biduo in jugo stativa sunt habita.[3] hoc jugum Alpim Graiam esse, Coelii Antipatri Cremonis jugum,[4] ad quod per Isarae vallum Hannibal pervenerit, plurimorum et locorum peritissimorum consensu constat. etiam *λευκόπετρον* illud (La Roche Blanche) ibi videtur. die vicesimo altero exercitus descendit[5] usque ad locum quendam, quo rupes jam antea ad tria hemistadia praeruptae tum etiam magis praecipites factae erant, ut elephanti et jumenta praeterire non possent. ibi etiam nives superioris anni novis erant tectae.[6] quadriduum circa rupem consumptum est,[7] inde per diem vicesimum septimum ad undetricesimum ad planum iter fecerunt.

11. Transitum Alpium quindecim dierum fuisse[8] et a Carthagine nova quinque mensium iter, Polybius tradit, itaque cum etiam apud Livium[9] eadem legantur, quattuor dies quieti datos Polybium non numerasse veri simile est. a Carthagine autem nova usque ad Insubres fere novem milia stadiorum numerat;[10] a Pyrenaeorum autem montium fine

ad transitum Rhodani fere	1600	
Alpium adscensus ad Alpim Graiam	1400	
a transitu Rhodani ad primum adscensum in Alpes	800	}
ut sint ad summum jugum ab hoc loco	600	}
ab Alpi Graia ad planum	1200	

12. Ad plana, quae circa Padum patent, Hannibal Gallis ducibus pervenit, qui ad Insubres Carthaginiensibus amicos eorumque adventum exspectantes eum duxerunt.[11] inde profectus vicinum eis et inimicum Taurinorum populum aggressus est, qui et ipsi terram Alpibus subjectam habitabant.[12] gravissima eorum urbs expugnata est. eadem in regione Alpium, qua ad Italiam descenditur, Tauriscos Polybius habitare dicit et Agones,[13] quibus fortasse Taurini propinqui erant. neque hi, neque illi Celtis ab eo adnumerantur, apud Strabonem[14] autem et Plinium[15] Ligures

---

[1] ib. § 3. [2] 3, 52. 2. [3] ib. § 8. [4] 3, 53. 6 et 9. [5] cf. Liv. 21, 35. 4. [6] Liv. 21, 38. 7. Pol. 3, 54. 4. [7] 3, 55. 1. [8] ib. § 7. Liv. 21, 37. 4. [9] 3, 56. 3. Liv. 21, 38. 14. [10] 3, 39. [11] 3, 34. 5. 44, 8. [12] 3, 60. [13] 2, 15. 8. [14] Strab. 204. [15] Plin. 3, 17. 123.

iidem nominantur, qua generis varietate etiam factum est, ut inimicitiae illae Taurinis cum Insubribus intercederent. pugna autem, quam cum Taurinis Hannibal commisit, et urbis expugnatio primae erant res a Carthaginiensibus gestae in Italia, quas Romani audiverunt, quo factum est, ut primum ad Taurinos Hannibalem venisse putarent. ex Polybii autem descriptione et Caelii Antipatri apparet, illum de Alpi Graia per Salassos descendisse et Duriam majorem secutum ad Insubres venisse.

13. Atque ut nunc redeamus ad Galliam transalpinam, Galli eam incolunt, qui Transalpini a Romanis vocantur.[1] de singulis populis nominantur Allobroges (*Ἀλλόβριγες*),[2] Ardyes, qui Rhodani vallis eam partem incolunt, quae ad septentriones spectat.[3] ab aliis eidem non nominantur, qua re pro his *Αἴδυας* legendos esse Gronovius censet. Gaesatas[4] autem, quos nominent, non gentis gallicae nomen esse Polybius tradit, sed eos Gallos hoc nomine uti, quos Galli italici ex Alpibus et a Rhodano auxilium sibi vocarent et mercenarios hoc nomen significare.

14. Restat, ut quemadmodum jam de omnium Gallorum moribus et institutis nonnulla diximus, hoc loco etiam aliarum gallicarum gentium nomina sint enumeranda. nominantur autem in Italia: Lai, Lebecii, Insubres, Gonomani, Anares (quod nomen cum Mommsenio legendum est, ubi in libris nostris Anares Anamares Andri leguntur), Boji, Lingones, Senones. Macedonibus et Dardaniis Bastarnae vicini erant, quos tum Polybius a Gallis distinguere non poterat. ex Europa in Asiam ab Attalo Aegosages vocantur, Galatiam autem Tectosages Tolistobogii Trocmi incolunt. praeter hos in Asia *Ῥιγόσαγες*[5] nominantur, quos Casaubonus Tectosages legendos esse putat.

c. De Italia.

1. Cum primae paeninsulae Polybius commune nomen non dedisset, sed singulas ejus terras ex singulis populis nominasset, alteram, quae ad fretum Siculum procurrit, uno appellabat nomine. haec enim, quamvis Polybii temporibus a multis et diversis populis incoleretur, unius tamen populi imperio a mari Siculo ad Alpes subjecta erat, quo factum est, ut facile a Graecis hominibus doctis ad totam unum nomen transferri posset. Italiae autem nomen a Graecis in ea paeninsulae regione inventum, quod Bruttium postea vocatum est,

[1] 2, 15. 8. [2] 3, 50. [3] 3, 47. [4] 2, 22. 1. [5] 5, 53. 3.

ab aliis deinde latius extendebatur, ut jam in foedere, quod Hannibal cum Philippo iniit, Italiae nomine tota terra significaretur, quae est a freto usque ad Liguriam et Galliam cisalpinam.[1] a Polybio autem primo ad totam paeninsulam nomen translatum est, qualem ejus usum multo demum post Augustus recepit, cum ex singulis populis singulae terrae nominarentur, neque illi uno Italiae nomine apud exteros magis usitato uterentur.

2. Toti Italiae trianguli figuram esse putat,[2] cujus latus orientale fretum ionium alluat et in continuo sinus Hadriaticus, occidentale autem et meridionale mare Etruscum et Siculum. tertium latus Alpes esse, qui montes ab eo loco, quo cum Apenninis prope Massiliam se conjungant, ad intimum Hadriatici maris recessum duo milia ducenta stadiorum porrigantur, ad quem recessum montes non pertinere dicit, sed antea desinere.[3] Alpes quasi basim hujus trianguli esse, cujus cacumen Italiae promontorium Cocynthum nominat, quod meridiem versus excurrat. quod promontorium hoc nomine significetur, in dubio est. totam enim oram a Rhegio ad Tarentum in mare Siculum et Graeciam se vertere dicit,[4] Cocynthum autem mare Siculum a freto ionio separare.[5] quare inter Rhegium et Tarentum hoc promontorium non ponendum est. ipsius autem Japygiae promontorium ἄκρα Ἰαπυγία a Polybio vocatur.[6]

3. Quam in regionem Polybius hanc paeninsulam extendi censeat, ex triangulo apparet, quo ad computandum intervallum utitur, quod est inter Siciliam et columnas Herculeas. Italiam igitur vero magis in orientem hibernum porrectam esse putabat, quo factum est, ut etiam de illo intervallo erraret.

Longitudinem orae a Narbone ad fretum Siculum stadiorum undecim milia ducenta eum habuisse jam supra diximus, a Massilia igitur fere decem milia erant. a freto ad promontorium Japygiae terra esse tria milia, navigantibus autem per mare Siculum duo milia quingenta.[7] qui numerus discrepare videtur ab alio loco,[8] quo fretum dicit a Lacinio, Junonis templo, navigantibus mille trecenta stadia abesse, unde ad promontorium Japygiae septingenta sint stadia. major autem ille numerus ambitum significat sinus Tarentini, septingenta autem stadia directum cursum a Lacinio ad Japygiam. inde viarum miliaribus usus est,[9] et quingenta sexaginta duo milia ad Senam esse dicit (4683 stadiorum Polybianorum), et ab hoc loco ad Aquilejam centum septuaginta octo milia (1483 stadia), ut totam

[1] 7, 9. 6. [2] 2, 14. 4. [3] 2, 14. 6. cf. 3, 47. 4. [4] 10, 1. cf. Strab. 211. [5] 2, 14. 5. [6] 10, 1. 34, 11. 11. [7] Strab. 211. [8] id. 261. [9] id 285.

Italiae oram orientalem ab Japygiae promontorio ad Aquilejam sex milia centum sexaginta sex stadiorum longam esse putasse videatur. Senam autem duo milia quingenta stadiorum ab intimo Hadriatici maris recessu abesse alio loco dicit,[1] ut si recte Sena in nostros libros recepta est, Aquilejam ab illo recessu plus mille stadia abesse putandum sit. quod fieri potuisse equidem haud negaverim, cum etiam a Peloponneso Polybius ad eundem recessum 8250 stadiorum esse dicat.

Latitudinem Italiae ab illo loco, quo Apenninus mons incipit, per campos gallicos ad mare Hadriaticum quattuor esse milia centum stadiorum putat.[2]

4. Eadem ratione, qua ad totam paeninsulam unum Italiae nomen transponit, montes etiam, qui per mediam Italiam porriguntur, uno appellat nomine, quo soli Ligures utebantur, cum reliqui Italiae populi etiam postea singulis Apennini partibus singula nomina darent neque totum montium tractum uno nomine comprehenderent. Apenninus igitur mons (*ὁ Ἀπεννῖνος,*[3] *τὰ Ἀπεννῖνα ὄρη*[4]) continuus per mediam Italiam[5] procurrens, ab eo loco, quo prope Massiliam Alpes attingit, usque ad mare Siculum pertinet, ut etiam ei montes a Polybio Apennino adnumerentur, quos super mare Sardoum sitos Alpes maritimas alii nominant. ab illo initio Apenninus orientem versus se extendit, tria milia sexcenta stadiorum, et a meridie campos terminat, qui sunt circa Padum.[6] deinde fere quingenta stadia a mari Hadriatico distans ad dextram se vertit a campis, qui propter hanc causam hac in regione latius meridiem versus patent usque ad Senam[7] aut Ariminum, ubi campi Gallici cum reliqua Italia conjunguntur.[8] Apenninus per totam Italiam omnes fluvios dirimit,[9] ut omnes aut in mare Etruscum influant, aut in Hadriaticum, solo Aufido excepto, qui in ea Apennini parte, quae ad mare Etruscum spectat, ortus, per Apenninum perfluit et in Hadriam se immittit.

5. Inter hunc Apenninum et Alpes ei patent campi (*τὰ γαλατικὰ πεδία*),[10] qui totius Italiae extremi septentriones versus siti sunt, fertilitate autem et magnitudine omnibus Europaeis praestant, quos quidem Polybius cognovit. Eis quoque trianguli figuram esse affirmat, cujus cacumen super mare Sardoum sit prope Massiliam, ubi Apenninus et Alpes conjungantur. latus autem ejus septentrionale, duo milia ducenta stadiorum longum,

---

[1] 2, 14. 11. Sena ex Cluveri conj. [2] 2, 14. 10. [3] 2, 14. 10. [4] 33, 11. 1. [5] 3, 110. 9. [6] 2, 14. 10. [7] 2, 16. 3, 86. 2. [8] 3, 61. [9] 3, 110. 9. [10] 2, 14. 7.

Alpes esse, meridionale, tria milia sexcenta longum, Apenninum, et basim totius trianguli, duo milia quingenta longam, oram maris Hadriatici esse dicit, a Sena ad intimum illius recessum, ut totus camporum circuitus stadiorum decem milium efficiatur.

De his campis Timaeum dicit saepe errasse, etiam alios multa fabulosa de eis narrasse et inprimis de Eridano fluvio, qui per campos fluat, de Phaethonte, de populorum lacrimis et de gente illa, quae ad hunc fluvium habitans et Phaethontem lugens atris vestibus utatur, propter hunc usum *μελανείμονες* a Graecis vocati. itaque apto loco his de regionibus copiosius erat expositurus.

6. Ac fluvius quidem Padus,[1] qui hos campos perfluit, a poetis Eridanus nominatur, ab accolis autem Bodencus, quod verbum Metrodorus[2] ex Ligurum lingua desumptum esse dicit. ex eis Alpibus ortus, quae a cacumine camporum trianguli propius absunt, meridiem versus de montibus in campos defluit, ad quos cum pervenit orientem versus eos perfluit usque ad Trigobolos quos dicunt, ubi in duas partes dividitur et e duobus ostiis in mare Hadriaticum se immittit, quorum primum Padoa vocatur, alterum Olana. naves autem e mari in Padum per Olana perveniunt, quo in ostio etiam portus est, qui non minus praesidium navibus praebet, quam quisquam totius Hadriae. adverso flumine fere duo milia stadiorum navigari potest, cum fluvius nulli cedat omnium Italiae copia aquarum, quae de Alpibus et Apenninis ad eum defluunt. quo fit, ut tempore ortus caniculae Padus maxima capiat incrementa, quod tum Alpium nives liquescunt.

7. Horum camporum fertilitatem describere non facile esse dicit,[3] et tantam in eis victus abundantiam commemorat et vilitatem, quantam etiam in Lusitania. glandium autem multitudine, quas quercus proferant per campos dispersae, sues saginari, quarum plurimae his ex campis exportentur, quamvis etiam tota Italia in subus alendis omnibus terris praestet. qua victus copia et vilitate effici, ut, qui per hos campos iter faciant, in deversoriis non singulas res, quanto convenerit, emant, sed quanto excipiantur, interrogent. caupones autem plerumque semissem pro victu postulare, quod pretium raro augeatur.[4]

8. Campos autem Gallorum magna multitudo incolebat,[5] qui corporum magnitudine et pulchritudine aliis praestabant. ante Gallos, qui ex Gallia transalpina immigravissent, Etruscos campos tenuisse tradit,[6] quo tempore etiam campos illos Phlegraeos et Nolam sibi subjecissent. a Gallis autem agrorum fertilitate

---

[1] 2, 16. 6. [2] Plin. 3, 20. [3] 2, 15. [4] ib. [5] ib. [6] 2, 17.

incensis Etruscos expulsos esse. sed illo ipso tempore, quo historias Polybius conscripsit, etiam Gallos e campis a Romanis expulsos esse testatur,[1] et pauca tantum loca sub Alpium radicibus sita eos tum obtinere. primos omnium Senones Romani expulerunt, quorum in agrum Senam coloniam deduxerunt.[2]

Praeter Gallos etiam Venetorum populus hos campos tenebat, quorum sedes in ea parte camporum erat, quae Hadriae adjacet. hunc populum Polybius antiquissimum nominat,[3] moribus quidem corporisque habitu Gallis non dissimilem, sed alia eos lingua uti dicit. etiam de eis tragoediarum scriptores multa fabulatos esse et mira narrasse.

9. Singulas Gallorum gentes earumque sedes Polybius enumerat,[4] quorum quidem Lai prope Padi fontes habitant, Lebecii Insubribus vicini sunt, quae maxima Gallorum gens est, cujus gravissimus locus Mediolanum[5] vocatur. Acerrae[6] in eorum agro sunt. commune Insubrium sacrum Minervae templum est, ex quo Insubres de salute proelio debellaturi aurea vexilla, quae immobilia dicuntur, deprompserunt.[7] Insubribus Gonomani finitumi sunt, his Veneti. cis Padum primi ad Apenninum Anares sunt, de quorum nomine jam supra diximus. sedes eorum non multum a Massilia abesse libri nostri tradunt, quod errore dictum esse docti viri putant.[8] oppidum eorum Clastidium est.[9] Boji his vicini sunt, quorum vicus quidam Tannetus nominatur.[10] Bojos Lingones terminant, extremi autem ad mare Senones sunt, qui usque ad Ariminum Senamque et ad Picenum campos tenebant. Agones igitur Taurinos Tauriscos Gallis Polybius non adnumerasse videtur.

Colonias in Gallorum agros Romani deducebant praeter Senam Mutinam,[11] Placentiam,[12] Cremonam,[13] quas sex milia Romanorum tenebant.

Ex Polybii libris praeterea his ex regionibus Ancara citatur, cujus civis *Ἀγκαράτης* nominatur.[14]

10. A meridie Gallorum Ligurum sedes sunt in Liguria (*Λίγυες*,[15] *Λιγυστῖνοι*,[16] *Λιγυστική*,[17] *Λιγυστίνη*[18]). utrumque Apennini latus incolunt, et quod ad Padum spectat, et quod ad mare Etruscum, ab initio montium, quod est super Massiliam, usque ad agrum Arretinorum Etruriae. secundum mare autem ager eorum

[1] 2, 35. 4. [2] 2, 19. 12. [3] 2, 17. 6. [4] 2, 17. [5] 2, 34. 10. 35. 1. [6] 2, 34. 4. [7] 2, 32. [8] ib. cf. Hultsch p. 1396. [9] 2, 34. 5. [10] 3, 40. 13. [11] 3, 40. 8. [12] 3, 40. 5. [13] ib. [14] Steph. Byz. ex 8. [15] 12, 28a. 3. [16] 2, 16. 1. [17] 2, 31. 4. [18] 3, 41. 4.

non nisi ad Pisam pertinet, quae prima est Etruriae urbs.[1] Massilia Antipolis Nicaea in Ligurum finibus sunt.[2] de populis praeter Ingaunos et Intemelios Polybius Oxybios et Decietas nominat,[3] quorum in finibus Apro fluvius est et urbs Aegitna ad mare sita.[4] Polybium etiam Tauriscos, Taurinos Agones Liguribus fortasse adnumerasse jam supra vidimus.

Secundum Liguriae oram a Pisa ad Rhodani ostium Massilioticum quinque dierum navigationem esse dicit.[5]

11. Etrusci Etruriam incolunt, olim autem et campi, qui sunt circa Padum, et campi Phlegraei circa Neapolim et Nolam siti eorum dicioni subjecti erant. Etruria a Pisa aut a Luna ad Ostiam pertinet, unde ad Lunam a Polybio mille trecenta triginta stadia numerantur, quam oram alii duo milia quingenta stadiorum longam esse dicebant.[6] in mediterraneis Etrusci Liguribus finitumi sunt, qui usque ad Arretium montes tenent, et Umbris, qui alterum Apennini latus incolunt.

12. Umbri Umbriam tenent et id latus Apennini incolunt, de quo ad mare Hadriaticum descenditur.[7] campi autem, qui sunt usque ad Senam et agrum Picenum, Galliae adnumerantur, cum Senones eos occupassent, quibus expulsis[8] Romani primam Galliae coloniam eo deduxerunt, Senam,[9] Gallis, qui antea urbem incolebant, cognominem. ex lege Flaminia hac in terra prima agrorum divisio facta est, et ager Picenus, qui in Gallia est (*ἐν Γαλατίᾳ ἡ Πικεντίνη προσαγορευομένη χώρα*)[10] Romanis est assignatus. Umbrorum ipsum nomen minus valet apud Polybium, neque ad omnes Umbriae, quae dicitur, gentes extenditur, cum eis Sarsinates non adnumeret, qui et ipsi Apenninum incolunt. (*Ὄμβροι καὶ Σαρσινᾶται*).[11]

13. Campania. Ausones, qui etiam Opici a Graecis vocabantur,[12] olim a Circeio promontorio meridiem versus terram tenebant, quibus duobus unius populi nominibus postea, cum alii populi terram sibi subjecissent veteresque incolas expulissent, duos populos significari rerum scriptores putabant. quo in numero etiam Polybius est,[13] qui Opicos et Ausones campos incolere dicit, qui pateant circa Cratera Campaniae sinum.

Campaniam (*Καμπανία*,[14] *τὰ περὶ — κατὰ Καπύην πεδία*[15]) Campani[16] incolunt. hi campi olim etiam Phlegraei[17] nominati

---

[1] 2, 16. [2] 33, 7. 2. [3] Strab. 202. Pol. 33, 8. 1. 10, 2. 11, 2. [4] 33, 10. 2. cet. [5] 3, 41. 4. [6] Strab. 222. [7] 2, 16. 3. [8] 2, 19. 12. [9] ib. [10] 2, 21. 7. [11] 2, 24. 7. [12] Aristol. Pol. 7, 9. Strab. 242. [13] Strab. ib. [14] 7, 1. 1. [15] 3, 90, 10. 91, 2. [16] 2, 24. 14. [17] 2, 17. 1. 3, 91. 7.

sunt, ut alii quoque clari campi, de quibus mythographi scripserant, et ipsi di certasse de eis dicuntur propter camporum pulchritudinem et praestantiam. omnibus Italiae campis eos praestare Polybius dicit, cum ad ipsum mare sint siti et talibus portubus frui possint, ad quos fere omnes totius orbis terrarum naves adpellant, quae Italiam petant.

14. Japygia [1] tota illa Italiae pars vocatur, quae a Frentanis usque ad promontorium Japygium pertinet, quam Apuliam et Calabriam Romani nominant. Japygum [2] autem nomine non totius hujus terrae incolae significantur, sed tres populos Japygiam incolere Polybius dicit, [3] et in tria nomina terram divisam esse, quorum duo tantum nomina affert, Dauniorum [4] et Messapiorum. [5] his Cluverus Peucetios adjicere vult, quorum nomen apud Polybium nusquam legitur. sed cum praeter illos duos populos etiam Japygum et Calabrorum [6] mentionem faciat, horum unum illo loco nominatum esse veri similius est.

Ceterarum Italiae regionum gentium urbium nomina hoc loco praetereo.

d. De tertia Polybii paeninsula et de quarta.

1. De figura totius tertiae paeninsulae et quartae hoc loco repetere liceat, quae jam supra diximus, Hellespontum Propontidem Bosporum Thracium fere a meridie septentriones versus terram alluere, paeninsulae partem inter Pontum et Hadriam sitam justo magis coartari, ut ab Haemo utrumque mare conspici possit, sinum thermaicum non tam in mediam paeninsulam a Polybio extendi, quam Eratosthenes putasset.

Tertiam autem paeninsulam ad Maleas et Sunium procurrere Polybius dicit, [7] quod argumento est, quo apparet, Polybium quoque, ut plerosque antiquitatis geographos de Atticae et Peloponnesi situ errasse, cum Sunium magis meridiem versus in mare excurrere putarent, ut aequinoctialis per columnas Herculis et Rhodum ducta Maleas simul et Sunium attingeret, quod Eratosthenes putabat, [8] et alii, qui adeo per ipsas Athenas eandem aequinoctialem ducerent, neque Strabo hac de sententia decessit. [9]

2. Septentriones versus Ister fluvius paeninsulam terminat, [10] qui a Maleis ex Polybii opinione decem milia stadiorum abest,

---

[1] 3, 88. 3. [2] 2, 24. 11. [3] 3, 88. 4. [4] 3, 91. 5. 10, 1. 3. [5] 3, 24. 11. 88. 4. [6] 10, 1. 3. [7] Strab. 108. [8] id. 67. [9] id. 92. [10] id. 389.

quem numerum Artemidorus postea ad sex milia quingenta comminuit. ante Polybium autem etiam majorem numerum Dicaearchus[1] habuit, qui jam ab ipsa Peloponneso ad intimum Hadriae recessum decem esse milia stadiorum putavit. eundem occidentalis orae tractum, qui est a Peloponneso ad orae Illyricae finem Polybius octo milia ducenta quinquaginta stadiorum esse tradit, quorum septingenta numerat a Peloponneso ad Leucadem, totidem inde ad Corcyram, totidem a Corcyra ad montes Ceraunios et inde sex milia centum quinquaginta ad finem orae Illyricae.

3. De latitudine totius terrae, quae est inter Apolloniam et Byzantium viae Egnatiae miliaribus instructus erat, quae via ad Cypsela et ad Hebrum fluvium ducebat.[2] ab Apollonia ad Byzantium 7320 stadiorum esse alii putaverant, cui numero Polybius alia centum octoginta stadia adjecit,[3] cum in viae Egnatiae milibus Romanis computandis tertiam stadii partem octonis stadiis adderet, ut 7500 stadiorum efficerentur. accuratius Strabo alio loco Polybium 178 stadia adjecisse tradit, nam via Egnatia 535 milia longa erat, cujus numeri tertiam partem Polybius 4280 stadiorum, quae alii computaverant, addidit, ut ab Apollonia ad Cypsela et ad Hebrum 4458 stadiorum ab eo numerarentur.

Qui Apollonia et Epidamno profecti in hac via Egnatia iter faciunt, ex aequo intervallo in eandem conveniunt, quae primo ad Candaviam Illyriae montem ducit, per urbes Lychnidum et Pylona, qui locus Illyriam et Macedoniam terminat. inde via per Barmunta, Heracleam, per Lyncestos, Eordos, Edessam et Pellam ducit, et inde usque ad Thessaloniceam, quae urbs ducenta sexaginta septem milia (2225 stadiorum Polybianorum, Strabo 2, 4. 4. p. 106: *πλείους τῶν δισχιλίων*) ab Apollonia abest.[4] inde igitur ad Cypsela fere 2233 et a Cypselis ad Byzantium fere 3040 stadiorum numeranda sunt.

4. Peloponnesus. Peloponnesi circuitum nulla sinuum ratione habita quattuor esse milia stadiorum dixit[5] et occidentalem ejus oram quattuor milia a Sicilia abesse. solum sinuum Argolicum nominat,[6] quo ἡ *Ἀκτή*[7] efficitur. eodem nomine etiam aliae paeninsulae utuntur, ut Attica *διὰ τὸ πολὺ μέρος αὐτῆς καθικνεῖσθαι εἰς θάλασσαν.*[8]

---

[1] id. 104. [2] Strab. 322. [3] Strab. epit. 7, 57. p. 90. ed. Cram. cf. Strab. 322. [4] ib. [5] Strab. 335. [6] 5, 91. 8. [7] ib. [8] Apollodorus ap. Steph. Byz. v. Attica.

e. De quinta Polybii paeninsula.

De quinta paeninsula, quae ad Bosporum Cimmerium et ad ostium Maeotis procurrit, ex Polybii libris nihil traditur, nisi urbis Chersonesi incolarum nomen (*Χεῤῥονησῖται*).[1] a Tanai autem septentriones versus interiores terrae partes jam arctico subjectae sunt. Scythae[2] hanc terram incolunt, qui in eadem infamia sunt, qua Galli (*Σκυθῶν ἔργα καὶ Γαλατῶν*). Scythis in Asia Nomades sunt propinqui.

V.

Asia.

1. Asia[3] cum Africa meridionalem partem nostrae habitatae terrae implet et a Tanai fluvio, qui ex oriente aestivo ad occidentem hibernum fluit, usque ad Nilum pertinet. altera Asiae et Africae conjunctio fortasse a meridie australis maris apud Aethiopes est, sed hanc in dubio Polybius relinquit.

Totam autem Asiam antiquitatis geographi in duas dividebant partes, quarum una Asia cis Taurum, altera Asia trans Taurum nominabatur, cum Taurum montem a mari interno orientem versus usque ad Thinas se extendere putarent, in aequinoctiali per columnas Herculis et Rhodum ducta. singulae autem hujus Tauri partes singulis nominibus distinguebantur.

Polybius quoque Tauri mentionem facit in Media et in Parthia,[4] quod argumento esse potest, ex quo apparet, etiam Polybium, qui Eratostheni his in regionibus summam fidem tribueret,[5] Taurum in eandem procurrere regionem putasse. Hipparchus autem primus de Eratosthenis opinione decedens Taurum magis ad orientem aestivum se extendere censebat.

Itaque in hac Asiae divisione veteres geographi non consentiebant, cum alii alias terras modo cis Taurum, modo trans Taurum sitas esse dicerent, ut tota divisio incerta fieret.[6] Polybius

---

[1] 25, 2. 13. [2] 4, 43. 2. 9, 34. 11. [3] 3, 37. [4] 10, 28. [5] Strab. 389. [6] cf. Strab. 492. 522.

Asiam cis Taurum eam ejus partem intellegit, quae Graecis proxima sita est et quam Asiam minorem nos dicimus, Graeci autem separato et universo nomine non appellabant.

2. Asiae terras Polybius in historiarum libris occasione oblata descripsit, libri autem tricesimi quarti pars Asiae descriptio non erat. nam maximam Asiae partem ex solis rerum scriptorum et geographorum libris cognovit, quorum Eratosthenem maxime est secutus. Polybium autem singularum terrarum situm parum cognitum habuisse, ex eo videre possumus, quod Mediae dicit[1] partem occidentalem Satrapeos terminare, qui non procul ab illis populis absint, qui ad Pontum et ad Phasim sedes suas habeant, orientale igitur Ponti litus teneant. septentrionali autem Mediae parti Elymaeos propinquos esse putat, et Anariacas Cadusios Matianos, qui eis Ponti partibus immineant, quae ad Maeotim pertineant, ex quo apparet Polybium Mediam vero magis septentriones versus posuisse, praesertim cum etiam de Ecbatanis dicat,[2] hanc urbem aedificatam esse in septentrionali Mediae parte, et quae eis Asiae terris immineat, quae sint circa Maeotim et Pontum. cum Media autem etiam mare Hyrcanium magis septentriones versus ponendum erat.

3. Aegyptum non Asiae tribuendam esse jam Herodotus contenderat,[3] sed cum etiam Polybius Nilum Asiae et Africae finem esse dicat, neque decedentem de hac sententiam afferat, apparet, hanc communem illo tempore sententiam fuisse, quae Aegyptiorum re publica maxime effecta est, quippe quae etiam Asiae partes imperio suo subjecisset et multa bella de Coelesyria gessisset.

Multis illis conjecturis, quae sunt de fontibus Nili, Polybium novam addidisse jam supra commemoravimus. sub aequinoctiali enim in zona illa temperata summos montes exsurgere putat, ad quos etesiis permultae nubes deferantur, ut multi ibi imbres effundantur, quibus fiat, ut Nilus oriatur et accrescat.[4]

4. Parapotamia[5] et Mesopotamia[6] Euphrati et Tigridi adjacent, quorum fluviorum Euphrates[7] quidem in Armenia ortus per Syriam proximasque terras ad Babyloniam pervenit et in mare Rubrum se immittere videtur, re autem vera aqua ejus fossis per agros ductis antea absumitur, quam in mare influere potest. quo fit ut hic fluvius plerisque contrariam habeat naturam, quibus eo majores fluctus sunt, quo plures terras perfluxerunt, et maximi

---

[1] 5, 44. 8. [2] 10, 27. [3] Herod. 2, 17. 32. 158. [4] Strab. 2, p. 97. 98. [5] 5, 48. 16. 69, 5. [6] 5, 44. [7] 9, 43.

quidem hieme, minimi summa aestate. contra Euphrates quo tempore canicula exoritur, maximam habet aquarum copiam circa Syriam, sed quo magis profluit, eo minor fit, cum incrementum suum non ex adfluentibus hibernis imbribus capiat, sed ex liquescentibus nivibus, deminutio autem ejus fiat aquis ad irrigandum per terram deflexis atque partitis.

5. Arabia. de regionibus ejus Chattenia[1] nominatur quae tertia Gerrhaeorum terrae regio est, sterilis quidem, sed vicis et castellis tecta propter Gerrhaeorum agri opportunitatem. Gerrhaeis autem aeterna pax et libertas a dis concessae sunt, et terra eorum libanotum et stacten fert, ut in mari Rubro aromata esse Polybius dicat.

6. Media. Media[2] in media fere Asia sita maxima ejus et altissima terra est, quam valentissimi et maximi populi cingunt. ab orientali ejus parte campi patent, ad desertum, quod est inter Persidem et Parthyaeam. portae Caspiae ad fines Mediae sunt et in dicione Medorum, etiam montes Tapurorum (*τὰ Ταπύρων ὄρη*), qui non procul absunt a mari Hyrcanio. Meridionali Mediae parti Mesopotamia adjacet et Apolloniatis, Callonitis[3] et Persis, quam utramque terram Zagrus mons a Media separat, qui per Callonitim centum habet stadiorum adscensum. in plura autem juga hic mons dividitur, quae denuo conjunguntur, ut cavae et profundae valles, et nonnullis in locis etiam planae formentur, quas Cossaei Corbreni[4] Carchi compluresque alii barbarorum populi incolunt, qui ad bella gerenda praecipue idonei esse videntur.[5] Occidentali Mediae parti Satrapei,[6] qui dicuntur, objecti sunt, de quibus jam supra diximus. hos quoque Zagrus mons a Media sejungit. terram eorum, quae etiam ad mare Hyrcanium pertinet eisque Ponti partibus imminet, quae sunt super Phasim fluvium, bellicosi homines incolunt, qui equitatu maxime praestant et etiam aliis rebus ipsi sibi sufficiunt, quae ad bellum gerendum necessariae sunt. Septentrionalem Mediae partem Elymaei cingunt Aniaracae, Cadusii, Matiani,[7] de quibus jam supra diximus.

Ipsa Media pluribus montibus dividitur, qui ab oriente ad occidentem se extendunt, et inter quos valles sunt urbium vicorumque plenae, quorum incolae multitudine et virtute ceteris Asiae populis praestant.[8] frumenti autem et pecoris innumerabilis multitudo et copia invenitur.[9] maxime equi ibi aluntur,[10] ut toti

---

[1] Steph. Byz. et Suid. ex XIII. [2] Pol. 5, 44. cf. 10, 27. [3] cf. 5, 53. [4] Schweigh. conj. *Κορβιῆνοι.* [5] 5, 55. [6] Schweigh. conj. *᾿Ατροπατεῖοι.* [7] 5, 44. 9. [8] 10, 27. [9] 5, 44. [10] ib. cf. 10, 27.

Asiae Media equos suppeditet, cum omnes regiae equariae Medis traditae sint. (τὰ ἱπποφόρβια, τὰ βασιλικὰ συστήματα τῶν ἱπποτροφιῶν.) Nisaei equites.[1]

7. Inter Mediam et Parthyenen desertum interjectum est,[2] in quo putei sunt, quos Persarum jussu, cum Asiam sibi subjecissent, factos esse indigenae narrabant, a Tauro aqua abundanti subterraneis fossis procul ductis, ut, qui tunc vivebant eisque utebantur, jam non scirent, ubi harum fossarum initium esset et unde aqua ad desertum perveniret. trans hoc desertum Parthorum terra est (ἡ Παρθυηνή,[3] Παρθυαία,[4] Παρθυαῖοι[5]), qua in media Hecatompylus[6] sita est, qui locus viis nomen accepit utrinque eo concurrentibus et ad omnia loca circum sita inde ducentibus. Labus mons[7] Parthorum terram ab Hyrcania sejungit.

8. Hyrcaniam Oxus fluvius terminat,[8] trans quem Apasiacae Nomades[9] terram tenent, quae est inter Oxum et Tanaim, quorum ille in mare Hyrcanium influit, hic in Maeotim, uterque autem fluvius magnus est et navigabilis. atque Oxus quidem a Caucaso Indiae monte ortus per Bactrianam et Hyrcaniam in mare Hyrcanium defluit. in Bactriana multis fluviis auctus magno et turbido flumine planam terram usque ad desertum perfluit, in quo magnus aquarum ejus dejectus fit, quem antiqui scriptores saepius descripserunt. jam Eudoxus[10] eadem de illo tradiderat, quae Polybius exponit, qui fluminis vim in tanta aquarum copia tantam esse narrat, ut fluvius plus unum stadium super rupes illas praeruptas transferatur, quo fieri, ut radices earum non madefiant, sed Apasiacae sub dejectu fluvii praeter rupes in Hyrcaniam pedibus cum equis suis transire possint. altera quoque ejusdem Oxi dejectus narratio pervulgata erat, quam Polybius illi praefert. cum enim illis rupibus plani lapides subjecti sint, in quos flumen deferatur, his lapidibus in tanta fluminis vi aquam eos excavantem et perrumpentem non procul sub terram abripi, deinde rursus emitti. barbaros autem locorum peritos per illud intervallum equis in Hyrcaniam transire.

Caucasus autem mons,[11] de quo Oxus decurrit, Bactrianam ab India sejungit et Tauri pars est, cum Macedones extremas Tauri partes, quae Indiae septentrionale latus terminabant et ab indigenis Paropamisus Emodus Imaus nominabantur, hoc nomine complecterentur.[12]

---

[1] 31, 3. 6. [2] 10, 28. [3] ib. [4] 5, 44. 4. [5] 10, 31. 15. [6] 10, 28. 7. 29, 1. [7] ib. et 31. 1. [8] 10, 48. [9] ib. [10] Strab. 510. [11] 10, 48. 4. 11, 34. 11. [12] Eratosth. ap. Strab. p. 689. cf. 506. Arriani exp. Al. 5. 3.

VI.

Africa.

1. Restat, ut de tertia orbis terrarum parte nunc sit nobis dicendum, quam Libyam Graeci nominant, et cujus de finibus jam supra diximus. qualem autem figuram Polybius Africae dederit, nunc jam non constat, sed hoc dubium esse non potest, quin de sententia illa pervulgata, quam Eratosthenes primus de figura Africae habuit, Polybius decesserit, cum usque ad aequinoctialem terram pertinere putet, sub qua ipsa altissimi montes exsurgant et zona temperata sit, ultra quam altera zona torrida sequatur: illi quoque opinioni se non addixit, quam secuti plerique Africam a meridie cum Asia conjunctam esse putaverant, sed utrum sit vera haec opinio an falsa in medio reliquit.

2. In enumeranda longitudine orae libycae, quae est ad mare internum, Eratosthenem secutus est,[1] qui ab ostio canopico ad Carthaginem 13500 stadiorum numeraverat,[2] inde ad columnas ad minimum 8000, ut totius orae longitudo esset 21500 stadiorum. eadem etiam Plinius tradit, Eratosthenem et Polybium ab Oceano ad Carthaginem 1100 M. p. (8800 stadiorum) ab ea Canopum, Nili proximum ostium 1528 M. p. (12224 stadiorum) numerasse, ut tota esset summa 21024 stadiorum.

Ipse Polybius[3] a columnis ad aras Philaeni, quae sunt ad majorem Syrtim, plus esse 16000 stadiorum dicit. quibus ex numeris apparet, Polybium numerasse:

a columnis ad Carthaginem stadiorum plus quam	8000
inde ad Syrtim minorem[4]	2400
ad Syrtim majorem	5600
ad canopicum ostium	5500
	21500.

Quae ora quam in regionem a columnis ad Aegyptum decurrat, alio loco demonstravimus.

3. De natura autem Africae et de frugibus ejus atque animalibus multae fabulae pervulgatae erant, quas etiam Timaeus[5] temere sequebatur, qui terram arenosam esse, aridam, sterilem

---

[1] Plin. 5, 7. 40. [2] Strab. 64. [3] 3, 39. [4] Plin 5, 26. [5] 12, 3.

putabat. Polybius[1] autem agrorum fertilitatem laudat et Numidia exemplo utitur, quam et ipsam natura ad agri culturam non aptam esse scriptores putabant, dum Massinissa primus et solus agrum coluit et omnes terrae fruges eam ferre posse demonstravit, neque Numidiam ulli terrae hac in re cedere. etiam equorum boum ovium et simul cum his caprarum tantam esse multitudinem in Africa Polybius affirmat,[2] quanta fortasse in reliquo orbe terrarum non possit inveniri. multos enim Africae populos non agros colere dicit, sed ex pecore victum capere et vitam cum eo agere. praeterea multos ibi et validos elephantos esse, leones, pantheras, pulchras antilopas, magnos struthiones, qui omnes in Europa prorsus non inveniantur, cum Africa eorum sit plena. de elephantorum autem dentibus tradit, magnitudinem eorum etiam in templis praecipuam videri, sed eos, ut a Gulusa regulo acceperat, in extremis Africae partibus, quae Aethiopiae confines sint, tanta magnitudine esse, ut postium vicem in domiciliis praebeant saepesque in his et pecorum stabulis pro palis elephantorum dentibus fieri.[3] tamen hos libycos elephantos indicis postponendos esse dicit cum illi neque horum odorem neque vocem ferre possint et etiam magnitudine eorum atque vi perturbati statim jam ante concursum refugiant.[4] ex eis autem, quae de leonibus narrat,[5] apparet, etiam tum Libyes ceteris bestiis leones pluris aestimasse, nam, sicut ab hominibus, ab illis poenas sumebant. Plinius enim ex Polybii libris tradit, a leonibus in senecta homines adpeti, quoniam ad persequendas feras vires non subpetant. tunc obsidere Africae urbes eaque de causa cruci fixos vidisse Polybium cum Scipione, quia ceteri metu similis poenae ab eadem noxa absterrerentur.

De plantis Africae Lotum descripsit,[6] e cujus fructibus Libyes vinum et acetum sibi parabant.

4. Praeter Carthaginienses de populis Africae Libyes nominantur (*Λίβυες*) et Libyphoenices (*Λιβυφοίνικες*), quos a Numidis (*Νομάδες*) segregat et simul cum eis nominat.[7] Numidarum autem nomine omnes populos significasse videtur, qui septentrionalem et occidentalem Africae partem tenent, et qui *Μασσόλιοι*, *Μασσαισύλιοι* sive *Μασαισύλιοι*,[8] *Μακκοῖοι*, *Μαυρούσιοι* nominantur. Massoliorum nomen varie apud Polybium legebatur, nam Stephanus Byzantinus ex VII (19. 1) *Μασσυλεῖς* citat, Eustathius ad Dionysium periegetam 187 *Μασουλεῖς*. praeter hos etiam Metagonitae (*Μεταγωνῖται*) nominantur,

---

[1] 37. 10. 7. [2] 12, 3. 3. [3] Plin. 8, 31. [4] 5, 84. 6. [5] Plin. 8, 47. [6] Athen. 14, p. 651d. [7] 1, 77. 3. 3, 33. 15. [8] 16, 23. 6.

qui eum Africae tractum tenent, qui est ad mare internum e regione Iberiae situs (τὰ Μεταγώνια).[1] Numidarum terra Numidia vocatur (Νομαδία).[2]

De occidentalis orae populis paulo infra dicturi sumus. totius autem Africae extremi meridiem versus Aethiopes sunt, qui ab oriente ad occidentem totam terram tenent, quae Aethiopia nominatur. nam orientalis ejus pars cum Asia fortasse cohaeret, in occidentali autem Africae litore, quod est ad Oceanum, duo Aethiopum populi commemorantur.

5. Quamquam Africae et Asiae finem Nilum esse dicit, tamen ad ipsum fluvium Africa non pertinet, sed Apis Aegypti portus nominatur,[3] qui non procul a finibus Cyrenaicae[4] et a magno Catabathmo situs est.[5] hic Catabathmus finis Africae est contra Aegyptum, non procul a mari situs, quo loco Libyes et Cyrenaici contra Aegyptios se defendebant. cujus Cathabathmi angustias qui transierat, Tetrapyrgiam sibi vidit subjectam, ubi magna aquae copia commemoratur. inde per septem dierum itinera desertum erat.[6]

6. Maximae et pulcherrimae partes Africae Carthaginiensibus subjectae erant, quorum imperium a columnis usque ad Philaeni aras (οἱ Φιλαίνου βωμοί[7]) pertinebat, quae sunt ad magnam Syrtim. ad parvam Syrtim Emporia[8] sunt, fertilis et pulcher ager, in quo multitudo urbium erat, et unde Carthaginiensibus plurima et ad usum publicum et ad privatum redibant. Byzacium (ἡ Βυσσάτις[9] vel Βυζακίς[10]).

Ipsa Carthago[11] in sinu sita est, in quem paeninsula procurrit, quam ab una parte mare cingit, ab altera lacus plerisque in locis. isthmus, quo urbs cum Africa cohaeret, fere viginti quinque stadia latus est, tumulosus[12] et difficilem transitum praebens una tantum via arte facta, quae uno ponte Macaram fluvium transit (Μακάρας).[13] hic fluvius plerumque aqua abundans nullum alium transitum praebet, Carthaginienses autem prope ostium ejus, cum quidam venti flabant et aquam reprimebant, transierunt. non procul a Carthagine ad eam isthmi partem, quae ad mare spectat, Utica est (ἡ τῶν Ἰτυκαίων πόλις, Ἰτύκη[14]), ad alteram et ad lacum Tunes (ὁ Τύνης[15]), quae urbs a Carthagine centum viginti stadia,[16] vel centum[17] abest, natura loci et arte munita, unde tota Cartha-

---

[1] 3, 33. 13. [2] 37, 10. 7. [3] 31, 26. 8. 27. 3. [4] 31, 26. 6. [5] 31, 27. 9. cf. Sall. bell. Iug. 17. Strab. 791. 798. [6] 31, 27. 11. [7] 3, 39. 2. [8] 3, 23. 2. cet. [9] ib. [10] 12, 1. 1. ex Steph. Byz. conj. Salm. [11] 1, 73. [12] 1, 75. [13] ib. [14] 1, 73. 5. [15] ib. [16] 1, 67. 13. [17] 14, 10. 3.

giniensium urbs conspici potest. promontorium sinus Carthaginiensium, quod septentriones versus in mare procurrit, Pulchrum nominatur (τὸ καλὸν ἀκρωτήριον),[1] alterum Hermaeum est (ἡ Ἑρμαία ἄκρα),[2] quod a sinu Carthaginis ad Siciliam versus excurrit.

Quod Polybius ad Africae pulchrum promontorium Tarseium Mastia posuit, errore factum esse jam supra diximus.

b. De Africae ora occidentali.*)

1. Mare exterum diu solis Phoenicibus notum erat, a quibus, ut Graecos ab eo prohiberent, fabulosae illae narrationes divulgatae sunt, quae ab antiquis his de regionibus nobis traduntur. Phoenices autem septentriones versus et ad meridiem navigabant, et quemadmodum ad maris interni oras emporia sua opportunis locis habebant, sic etiam ad oras exteri. de occidentali quidem Africae ora constat, perantiquas ibi Phoenicum colonias fuisse, nam Hannonis Carthaginiensis periplus a Graeco quodam nobis traditus est, quem medio fere quinto saeculo a. Chr. susceptum esse docti viri putant,[3] ut in veteres colonias novi coloni deducerentur novaeque conderentur. eodem tempore etiam ab Himilcone septentriones versus expeditio facta est.[4] multas Phoenicum colonias ad oram libycam esse etiam Eratosthenes[5] putaverat et Ophelas Cyrenaeus,[6] quorum ille quidem non minus trecentas urbes ibi esse dixerat. Polybii quoque temporibus fuisse, qui Phoenicum colonias ibi exstare putarent, non est cur negemus, cum Scipio Aemilianus Polybio, quamvis amico, ad mare illud oramque Africae exploranda et ad scientiam Polybii amplificandam classem non dedisset, nisi simul rei publicae usus accessisset. itaque cum Scipio ante ipsam Carthaginem ultimum bellum gerebat contra Carthaginienses, Polybius Africae litus occidentale perscrutatus est, neque quisquam post Polybium per multa saecula meliorem illo atque ampliorem his de regionibus habebat cognitionem, cum Polybius solus post Hannonis expeditionem ipse hanc orae libycae partem vidisset atque explorasset.

2. Atque ex Hannonis quidem periplo nonnullorum tantum

*) cf. Geographi minores ed. C. Mueller. I.

---

[1] 3, 22. 5. [2] 1, 29. 2. [3] Geogr. min. praef. p. 22. [4] Plin. 2, 67. [5] Strab. p. 826. 829. [6] Plin. 5, 1. 8.

locorum fama ad Graecos pervenit, et sunt, qui Herodoti[1] de Cyranni insula narrationem, et quae est de auro ejus cum Hannonis Cerne conferant, eademque ratione Hecataei Milesii Melittam, Ephori Cernen, καρικὸν τεῖχος, quae quidem urbes Hannonis periplo antiquiores erant (§ 5. κατῳκίσαμεν). explorationes autem hujus viri ad oram Africae occidentalem rectius cognoscendam nihil valuerunt, cum plurima Graeci perverse interpretarentur. itaque Scylax oram ad initium tantum deserti cognovit, inde mare putat innavigabile esse. alii Hannonis periplum consentientem faciunt cum communi omnium Graecorum opinione, quam de figura Africae ab Eratosthene acceperant, ut Hannonem in tot dierum navigatione circa totam Africam usque ad Arabiae finem venisse putarent. quo factum est, ut Hannonis Νότου κέρας, quo nomine sinum ille appellat, ad ultimum Africae orientalis promontorium transferretur.[2]

3. Polybius autem, cujus periplus auspiciis consulis Romani susceptus est, cum jam ante Carthaginem deletam rediisset, iter suum sine dubio non ita multo post descripsit. qui liber, cum nusquam ab aliis praeter Plinium mentio ejus fiat, in libros historiarum postea conscriptos neque ipse receptus est, neque quae exploraverat in libris illis Polybius exposuit. Plinius autem, qui solus hoc periplo usus est, nomina tantum ex eo exscripsit, sed utrum ex ipso Polybii libro haec desumpserit, an, quod veri similius videtur esse, ex alio libro latine conscripto, dubitari potest. nam apud ipsum Polybium, ut flumen Salsum omittam, Solis promontorium sine dubio non legebatur, sed Soloeis promontorium omnibus Graecis notum, quod Romani quidem etymologi cum Sole conferre poterant, at non Polybius. Plinii autem errore hoc nomen non ita traditum esse ex eo apparet, quod etiam a Ptolemaeo eodem in loco Ἡλίου ἄκρα ponitur,[3] ut etiam Ptolemaeus libris Romanorum usus hoc nomen apud illos usitatum recepisse videatur. ceterorum omnium nominum aut phoenicia forma nobis ex Polybii periplo traditur, aut ea, quae apud Graecos antiquitus usitata est, velut Atlas, Theon ochema, promontorium Hesperium.

Quod Plinius nobis servavit mirum in modum dispositum est, cum mensurae bis retro enumeratae sint, ut non a freto ad Atlantem Plinianum, sed inde ad fretum numeretur et eadem ratione non a promontorio Hesperio ad Theon ochema, sed contra. quam temere autem Plinius excerpserit ex eo possumus videre, quod de Atlante Polybii ipse dubitatur, cum Polybium dicat

---

[1] Herod. 4, 195. [2] Plin. 2, 67. [3] Ptol. 4, 1.

Cernen in extrema Mauritania contra Atlantem posuisse,[1] quamvis alio loco[2] ipse tradat, in medio eo spatio, quod sit inter promontorium Hesperium et Theon ochema, hunc montem a Polybio locari, qui a ceteris omnibus in extrema Mauritania ponatur. etiam 5. 9. Plinii Atlas, non Polybii intellegendus est.

4. Quem ad locum Polybius ipse pervenerit et quae ex aliorum narrationibus adjecerit, in medio relinquendum est. sunt qui putent, eum ad initium tantum deserti et ad fluvium Cosenum, ad Hannonis Lixum, venisse, quod inde mensurae incertae tradantur, cum ipsius deserti longitudinis numerus prorsus omittatur, reliqua autem a promontorio Hesperio ad Theon ochema decem esse dierum noctiumque dicantur. sed tota ratio, qua a Plinio Polybii periplus nobis traditus est, non talis est, ut ex eis, quae ille neglegenter exscripsisse aut omisisse videtur, concludere possimus, qualis ipsius Polybii liber fuerit et quem ad locum ipse pervenerit. neque Plinii posterior pars, quae est a deserto ad Theon ochema, a priore ullo modo distingui potest, cum etiam in illa Plinius milibus passuum Magnum sinum computet. Ceterum non erat, cur ad ipsum montem Theon ochema peripli finem Polybius faceret, si ex aliorum narrationibus eum composuisset, sed, ut Hanno, Polybius quoque peripli sui finem *Nότου κέρας* accipere potuit.

5. Ipsa singulorum locorum nomina a Plinio tradita, paucis illis exceptis, quae jam diu Graecis nota erant et cum fabulis eorum conjuncta, prorsus ab Hannonis nominibus discrepant, quod mirum esse non potest, cum fere trecenti anni inter utrumque sint. eadem de causa etiam Ptolemaeus multa affert nomina ab utroque discrepantia. itaque cum ad oram Africae occidentalem pauca tantum flumina, promontoria, sinus inveniantur, sola hac re fieri potuit, ut paene certo varia illa locorum nomina conferri inter se possint.

6. Plinius autem ex Polybii periplo tradit haec:[3] „Scipione Aemiliano res in Africa gerente Polybius annalium conditor ab eo accepta classe scrutandi illius orbis gratia circumvectus prodidit a monte eo (Atlante) ad occasum versus saltus plenos feris, quas generat Africa, ad flumen Anatim CCCCLXXXV M. p. ab eo Lixum CCV M. p. (Agrippa Lixum a Gaditano freto CXII M. p. abesse). inde sinum, qui vocetur Saguti, oppidum in promontorio Mulelacha, flumina Subur et Salat, portum Rutubis a Lixo CCXIII M. p. inde promontorium Solis, portum Risadir, Gaetulos

[1] Plin. 6, 199. [2] id 5, 1. 8. [3] Plin. 5, 1.

Autoloies, flumen Cosenum, gentes Selatitas et Masatos, flumen Masathat, flumen Darat, in quo crocodilos gigni. dein sinum DCXVI M. p. includi montis Barce promontorio excurrente in occasum, quod appellatur Surrentium. postea flumen Salsum, ultra quod Aethiopas Perorsos, quorum a tergo Pharusios, iis jungi mediterraneos Gaetulos Daras. at in ora Aethiopas Daratitas, flumen Bambotum, crocodilis et hippopotamis refertum. ab eo montes perpetuos usque ad eum, quem Theon ochema dicemus, inde ad promontorium Hesperium navigatione dierum ac noctium X; in medio eo spatio Atlantem locavit ceteris omnibus in extremis Mauritaniae proditum."

7. Ac primum quidem intervallum Plinius id affert, quod est ab Atlante suo, non Polybii, ad fretum. deinde retro a freto usque ad desertum singulorum locorum nomina tradit. a freto profectus Polybius Lixum venit. quae urbs ab Hannonis[1] Lixo sejungenda est, qui fluvius est ad initium deserti. post Lixum Saguti sinus est, Strabonis[2] et Ptolemaei[3] ἐμπορικός, quod nomen e lingua phoenicia est versum.[4] oppidum in promontorio Mulelacha flumen Subur (hodiernum Sebu) ubi olim Phoenicum colonia Thymiaterium vel Thymiateria florebat. flumen idem est ac Scylacis Crabis, Mnaseae Crathis.[5] flumen Salat, flumen Anatis Scylacis Anides, 205 M. p. a Lixo, 485 ab Atlante Plinii (fortasse hodiernum flumen Ommerbia). portus Rutubis 213 M. p. a Lixo, 7 igitur ab Anati. promontorium Solis, Hannonis,[6] Herodoti[7] Soloeis, de quo jam supra diximus (hodiernum Cap Cantin). portus Risadir. Gaetuli Antololes. flumen Cosenus, flumen Masathat, et inter utrumque Selatiti et Masati. flumen Darat, in quo crocodili gignuntur. de horum trium fluviorum situ dubitatur, Cosenus cum Ptolemaei Nuio confertur, quod flumen hodie Acasse vel Noun nominatur, Masathat cum Ptolemaei Massa, Darat autem fluvius hodie Rio do Ouro nominari putatur. hac in regione ad initium deserti Plinii Atlas ponendus est, cujus ultima juga in promontorium excurrere putantur, quod hodie Noun vocatur. itaque ad initium deserti a freto 802 sunt. M. p. (6416 stadiorum):

a freto ad Lixum	112	M. p. ex Agrippae mensura
ad Anatim	205	485.
ad Rutubim	7	
ad Atlantem	478	

8. Ipsius deserti quae longitudo sit non traditur. post deser-

---

[1] Hanno § 6. [2] Strab. 825. [3] Ptol. 249. [4] Movers 2, 541. [5] Plin. 37, 11. [6] Hanno 3. cf. Scyl. 112 [7] Herod. 2, 32.

tum magnus sinus est 616 M. p., qui a Surrentio promontorio montis Barce ad Hesperium promontorium pertinet, cujus extra ordinem mentio fit, cum a Theon ochemate Plinius retro ad Hesperium promontorium decem dierum noctiumque intervallum dicat. Surrentium (ex C. Muelleri conjectura Soloentium, ad Hannonis peripl. § 9.) Ptolemaei Rysadium,[1] id promontorium esse putatur, quod hodie cap Blanc nominatur, Hesperium autem id, quod Cap Vert dicitur, cum inter ea quinque milium stadiorum intervallum sit, quod cum Polybii 4928, Hannonis[2] duodecim diebus consentit. Ptolemaeus[3] eundem sinum hesperium vocat, quem a meridie ἑσπέρου κέρας ἄκρον finit. nam ei, ut Polybio ceterisque aliis, Hannonis κέρατα,[4] quibus sinus significat, promontoria sunt.

9. Hac in regione duo flumina nominantur, quorum id, quod magis ad meridiem versus situm est, Bambotus dicitur, quod flumen crocodilis et hippopotamis refertum fuisse traditur. nomen ejus Bochartus Bamothum legit, quae vox hippopotamum significat. etiam Hanno,[5] qui nullum nomen affert, magnum et latum fluvium hac in regione esse dicit, crocodilorum et hippopotamorum plenum, Ptolemaeus[6] autem Niam eundem fluvium nominat (hodiernus Senegal fluvius). situ autem ejus constituto etiam alterius fluminis situs et nomen inveniri potuit, quod Salsum Plinius vocat (var. lect. Palsum). idem Hannonis[7] Chretes est, Aristotelis[8] Chremetes, Ptolemaei[9] Stachirus. hodierni id flumen St. Jean nominant. ultra quod Aethiopas Perorsos et a tergo eorum Pharusios habitare Plinius tradit, quibus mediterranei Gaetuli Darae jungantur, in ora habitare Aethiopas Daratitas. a Bamboto autem montes esse perpetuos usque ad eum, qui Theon ochema dicatur, unde ad Hesperium promontorium retro decem dierum noctiumque sit navigatio. Hanno autem a magnis montibus silvosis (Cap. Vert) septem dies ad sinum Ἑσπέρου κέρας numerat, inde quattuor dies ad Theon ochema. hic mons, qui ex Rennelii opinione hodiernus mons Sagres est, Polybii peripli finis est, Hanno autem inde per tres dies ad sinum Noti ceras progressus est.

10. In medio eo spatio, quod est inter Hesperium promontorium et Theon ochema, Polybius Atlantem locavit a ceteris omnibus in extrema Mauritania positum, quod etiam Ptolemaeus facit, qui duos quidem Atlantes esse putat, minorem et majorem, sed utrumque in Mauritania ponit. Cernen autem insulam contra Atlantem sitam octo stadia a terra abesse Polybius prodidit.[10] Atlas

---

[1] Ptol. 4, 6. p. 292. [2] Hanno 11. [3] Ptol. 292. 6. [4] Han. 14, 17. [5] id. 10. [6] Ptol. 292. 17. [7] Han. 9. [8] Arist. Meteor. 1, 13. [9] Ptol. 292. 8. [10] Plin. 6, 36.

igitur eo loco est positus, quo Hanno sinum esse Ἑσπέρου κέρας dicit, insula autem eodem loco, quo magnam insulam idem invenit.[1] narratione enim Hannonis, se hac in regione vidisse noctu multos ignes ardentes et sonitum audisse tibiarum et strepitum cymbalorum tympanorumque, factum esse veri simile est, ut nonnulli Graeci Atlantem ex Mauritania hanc in regionem transponerent, cum de ipso Atlante similia Graeci fabularentur, ac Hanno de hac regione, „eundem montem noctibus micare crebris ignibus Aegipanum Satyrorumque lascivia impleri, tibiarum ac fistulae cantu tympanorumque et cymbalorum sonitu strepere"[2] quae loci mutatio cum a plerisque non acciperetur, Cerne insula ante Mauritaniae Atlantem transposita est, quo loco re vera nulla insula invenitur, quo factum est, ut alii hanc insulam omnino non exstare dicerent.

---

[1] Han. 14. [2] Plin. 5, 1.

VITA.

Natus sum Albersrodae, in vico hujus provinciae die XXVII mensis Julii anni p. Chr. n. 1848, patre Ephraimo, matre Johanna e gente Lischke, fidei evangelicae. primis litterarum elementis in eodem vico imbutus, cum pater Numburgum commigrasset, ibi per XI annos rectore Carolo Foertschio gymnasium cathedrale frequentavi. anno 1869, XVI die m. Aprilis universitatis Lipsiensis facultati philosophicae adscriptus studiis philologicis me dedi et per tria semestria Curtii, Ritschelii, Zarnckii, Overbeckii, Brockhauseni, Drobischii, Voigtii, Roscheri, Wuttkii, Riegelii scholas obii. deinde XXII die m. Octobris a. 1870 civibus universitatis Berolinensis adscriptus per quattuor semestria Bonitzio, Huebnero, E. Curtio, Kirchhoffio, Muellenhoffio, Hauptio, Kieperto, Mommsenio, Lepsio praeceptoribus usus sum et Muellenhoffii societatis theodiscae exercitationibus interfui. quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas.

CORRIGENDA:

p. 2. lin. 30. et intervallorum, quae sint terra marique.
p. 36. „ 23. situs.

THESES.

I.

Apud Strabonem 2. 4. 3. p. 105, ubi legitur: *καὶ ἐν δεξιᾷ εἰς τὴν Ἰαπυγίαν, ἀπὸ δὲ τῶν Κεραυνίων τὴν Ἰλλυρικὴν παραλίαν* cet, legendum est: *καὶ ἐν δεξιᾷ εἰς τὴν Ἰαπυδίαν ἀπὸ τῶν Κεραυνίων τὴν Ἰλλυρικὴν παραλίαν.*

II.

In Aristot. polit. I. 4. p. 1253 Bek, ubi legitur — *οὕτω καὶ τῶν οἰκονομικῶν. τῶν δ᾽ ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα τὰ δ᾽ ἔμψυχα, οἷον τῷ κυβερνήτῃ ὁ μὲν οἴαξ ἄψυχον ὁ δὲ πρωρεὺς ἔμψυχον· ὁ γὰρ ὑπηρέτης ἐν ὀργάνου εἴδει ταῖς τέχναις ἐστιν. οὕτω καὶ τὸ κτῆμα ὄργανον πρὸς ζωήν ἐστι, καὶ ἡ κτῆσις πλῆθος ὀργάνων ἐστί, καὶ ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον, καὶ ὥσπερ ὄργανον πρὸ ὀργάνων, πᾶς ὁ ὑπηρέτης* — transpositis verbis legendum est — *οὕτω καὶ τῶν οἰκονομικῶν τὸ κτῆμα ὄργανον πρὸς ζωήν ἐστι, καὶ ἡ κτῆσις πλῆθος ὀργάνων ἐστί, τῶν δ᾽ ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα* — et quae sequuntur.

III.

Soph. El. 21. cum Meinekio *ὡς ἐξήκομεν* legendum esse videtur.

IV.

Tac. Germ. 16, ubi legitur: „quaedam loca diligentius inlinunt terra ita pura ac splendente, ut picturam ac liniamenta colorum imitetur", nihil mutandum est.

Numburgi, formis Paetzianis.